DE

REBUS VENEREIS

AD USUM

CONFESSARIORUM.

IMPRIMATUR.

Pictavii, die 11 junii 1870.

A. DE BÉCHILLON, v. g.

PICTAVII. — EX TYPIS ET STEREOTYP. OUDIN.

DE
REBUS VENEREIS

AD USUM

CONFESSARIORUM

AUCTORE

D. CRAISSON

LIM SUPERIORI MAJORIS SEMINARII AC VICARIO GENERALI DIŒCESIS
VALENTINENSIS.

PARISIIS

POUSSIELGUE FRATRES, BIBLIOPOLÆ-EDITORES

VIA DICTA CASSETTE, 27.

1870

PRÆFATIO.

si, iteratis vicibus, venerea a diversis auctoribus nos explanata fuerint, ad novum tamen examen vocare haud inutile judicavimus : documenta circa hujusmodi materias prout in aliis, ma- in Gallia, ob nondum omnino extirpatum rigo- um olim à Jansenismo introductum, eam seve- em sæpe redolent quæ munus confessarii nimium ile reddit, quæque proinde in detrimentum vergit arum. Si quidem, prout ait S. Liguor.[1], sicut *essarii ob nimiam facilitatem absolvendi in causa t ut plures animæ in perditionem abeant..., alii nimiam rigiditatem non minoris sunt detrimenti.* res insuper quæstiones à nostris theologis falso umantibus se decretis SS. Pontificum non esse trictos, non conformiter ad regulas a Sancta Sede litas, exponuntur ac resolvuntur : quod præsertim tingit circa *sollicitantes et complices*. Non tantum o vera de iis materiis documenta utile est denuo onere, sed aliquo modo etiam necessarium vide-. Hoc autem in præsenti opere tentabimus, et faxit us quod feliciter ac fructuose istud pensum absol- nus!

[1] Lib. 6, nº 463, vº *Quidam*.

Opus nostrum maxime neo-confessariis destin tur, proinde iis etiam junioribus levitis qui proxi formidando sacerdotii oneri sunt initiandi : ipsi en ad periculosum munus confessarii implendum se tu accingere debent, quominus valeant utiliter, sine s et aliorum damno, illud obire : ab ipsis etenim s premus judex hujus sacri ministerii est exactur deque ipsorum manibus animarum, eorum cu perditarum, sanguinem requisiturus est. Ut aut tremendum huncjudicem sibi concilient, exacte su implere munus debent. Porro ad hoc orare quid debent, propriæque sanctificationi incumbere, etiam necesse est quod studio sedulo vacent, pr sertim circa materias in hoc volumine contenta cum, juxta præfatum S. Liguor. [1], frequentiora s objecta de quibus pœnitentes se accusent, et quib sæpius indigeant per absolutionem mundari.

1. Lib. 3, n° 413.

DE

REBUS VENEREIS

PROŒMIUM

1. Cum ad munus confessarii implendum tristis incumbat necessitas studendi venereis, quæ, ut ait S. Liguor. (lib. 3, nº 413), *sunt frequentior atque abundantior confessionum materia, propter quam major animarum numerus in infernum delabitur*, sedulo ante omnia, cum eodem Sancto, præmonere debemus *studiosos, qui ad munus audiendarum confessionum se parant*, ut quæ *de sexto præcepto*, *de impotentia*, de *debito conjugali* aut aliis dicturi sumus, *non legant, nisi cum fuerint ad excipiendas confessiones jam proximi*, *et ad hunc unice finem : omnem prorsus curiositatem abjicientes; atque eo tempore sæpius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatæ se commendent : ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur*.

2. Ante ergo hujusmodi materiarum studium congrue recitabitur oratio : « Per tuam sanctissimam Virginitatem « et Immaculatam Conceptionem, purissima Virgo, munda « cor meum et carnem meam. Amen. »

Vel sequens ista : « Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine; ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus, per Christum virginem, Virginis filium et virginum sponsum. Amen. »

el denique alia similis.

In tres dissertationes distribuemus quæ sumus dicturi rca venerea : in prima, de castitate et peccatis ipsi op-

positis; in secunda, de quibusdam minus pudicis ad conjugium spectantibus; in tertia, de abortu et embryologia sacra disseremus.

DISSERTATIO PRIMA.

DE CASTITATE ET PECCATIS IPSI OPPOSITIS.

CAPUT PRIMUM.

DE CASTITATE.

3. Castitas, juxta S. Thomam (2. 2, q. 151, a. 1), derivatur a *castigando*, eo quod concupiscentiam refrenet; et definiri potest : *virtus inordinatum appetitum usumque venereorum moderans*. Objectum proinde virtutis castitatis sunt concupiscentiæ delectabilium in venereis.

4. Delectatio *venerea* ea est quam experitur appetitus sensitivus ex iis operationibus et rebus quæ pertinent ad generationem.

5. Differt a delectatione mere *sensuali* seu *organica* quæ provenit ex aptitudine rerum ad sensus nostros, prout colorum ad oculos, soni ad aures, rei lenis ad tactum [1], etc.; dum *venerea* causatur ex commotione spirituum generationi inservientium.

6. Differt etiam a delectatione *rationali*, cujus objectum est aliquid bonum independens a sensuum oblectatione; nec in sensibus residet, sed a mente seu ratione apprehenditur : ut cognitio alicujus veritatis, honestas actionis moraliter laudabilis.

7. Non ita tamen a venerea differt delectatio, sive mere organica sive rationalis, quin magnam sæpe cum illa, propter corruptionem humanam, connexionem habeat : sic non raro impudicus amor incenditur ex visu

1. Quæ capta tamen supponitur in iis rebus quæ aliàs veneream delectationem excitare solent vel possunt.

pulchræ mulieris, aut ex amicitia personæ ob eximias ejus dotes etiam supernaturales primum dilectæ. Unde in Eccles. c. 9, v. 5 dicitur : « Virginem ne conspicias ne « forte scandalizeris in decore ejus : propter speciem « mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi « ignis inardescit. » Et in Epistola ad Galatas, c. 3, v. 3 : « Sic stulti estis ut cum spiritu cœperitis nunc carne con- « summemini ».

8. Dividitur castitas : 1° in *conjugalem* qua conjuges, admittentes quidem licitas voluptates in matrimonio, ab illicitis se abstinent.

2° In *vidualem*, qua quis, post solutas nuptias, statuit in posterum ab illicitis et licitis in conjugio voluptatibus abstinere.

3° In *communiter dictam*, qua quis, extra connubium exstans, se continet a venereis.

4° In *virginalem* tandem castitatem, seu perfectissimam, qua quis nunquam voluntarie expertus dictas voluptates, ob omnibus omnino, tam licitis quam illicitis, perpetuo abstinere proponit. V. *Patuzzi* ap. *Curs. compl. Theol.*, tom. II, col. 1242.

9. Etsi castitas et pudicitia sæpe pro uno et eodem sumantur, stricte tamen loquendo, inquit Billuart (*de Temper.* diss. 4, art. I, Dico 3°), pudicitia non est castitas, sed « specialis ejus circumstantia. Probatur : pudicitia dicitur « a pudore, in quo verecundia significatur; unde pudicitia « est proprie circa illa de quibus homines maxime vere- « cundantur, qualia sunt venerea..., adeo ut concubitus « ipse conjugalis, qui tamen honestate nuptiarum deco- « ratur, verecundia non careat, et erubescerent conju- « ges illum coram aliis exercere. Verecundatur autem « homo, non solum de ipso concubitu, sed etiam de qui- « busdam ejus signis, ut sunt aspectus impudici, oscula, « tactus, etc. Et quia hæc solent magis deprehendi, ideo « pudicitia magis respicit hujusmodi exteriora signa, cas- « titas autem magis ipsam veneream commixtionem. Ergo « pudicitia pertinet ad castitatem ut ejus circumstantia « specialis. »

10. Duplici sub respectu considerari potest virginitas, *natu-*

raliter nempe et *moraliter* : *naturaliter* sumpta nihil aliud est quam integritas membri genitalis in utroque sexu; sicque puellæ dicuntur virgines quando hanc integritatem servarunt, etsi aliunde, etiam voluntarie, fuerint pollutæ : « Hunc usum, ait Billuart (*Ibid.* art. 2. not. 3°), sequitur « Ecclesia in virginum consecratione, a qua non repellun« tur variis modis voluntarie pollutæ, modo claustrum « virginale integrum servaverint. » De virginitate sic sumpta loquitur S. Augustinus, lib. 4, *contra Julianum*, cap. 8, ubi dicit : « Pudicitia est res animi, virginitas cor« poris... Illa integra permanente, potest ista violenter au« ferri ; et ista integra manet corpori, cum potest illa in « animo lascivo voluntate corrumpi ».

11. Virginitas naturalis in viro irreparabiliter amittitur per copulam; in muliere autem per reserationem claustri virginalis, sive culpabiliter, sive inculpate id contingat; et sic corrupta non amplius est materia stupri, nec ulterius in usu communi virgo nuncupatur.

12. In maribus corruptis non apparet defectus integritatis genitalis membri; secus vero in mulieribus corruptis. Dissentiunt tamen inter se artis medicæ sive anatomicæ doctores circa virginitatis sigillum, *aliis* dicentibus illud esse membranam quamdam *hymen* et *Eugenium* vocatam, qua obtegitur collum matricis quæque coitu laceratur; aliis econtra contendentibus illud potius consistere in quadam complicatione partium ipsius orificii vasis fœminei, quæ per viri congressum dilatantur. Et hoc est saltem probabilius, cum plures medici, apud Sanchez, fateantur rarissime in puellis reperiri supradictam membranam, vixque ab una ex millibus possideri (lib. 7, disp. 14, n° 1, et disp. 113, n° 9).

13. Asserit idem Sanchez (*Ibid.*, disp. 113, n° 9), post S. Thomam (*Quod l.*, lib. 6, art. 18), contingere aliquando feminam incorruptam concipere ex semine viri circa vas effuso, matrice illud attrahente; sed tunc saltem per partum frangitur virginitatis signaculum, nec proinde amplius permanet virginitas naturaliter sumpta.

14. *Moraliter* sumpta virginitas intelligitur, vel de quodam statu castitatis, in eo consistente quod persona, non

voluntarie polluta, sit in proposito taliter permanendi, nisi matrimonio jungatur : et hoc modo puellæ nubiles dicuntur virgines; vel pro speciali virtute a castitate distincta, cui convenit definitio supra allata [1], ad quam reduci etiam valet ea S. Augustini cap. 13, *de virginitate*, ubi dicit : « In carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio ».

15. Ad virginitatem tanquam virtutem consideratam, per accidens se habet integritas carnis, illaque sine ista potest subsistere : casu nempe quo, vi aut aliter, citra omnem consensum, destruitur integritas membri genitalis : non magis hoc dictæ virtuti præjudicat quam si amputaretur manus aut pes.

16. Objectum materiale virtutis virginitatis est abstinentia a delectatione venerea voluntaria. Propositum vero a tali delectatione abstinendi in perpetuum haberi debet in ea ut formale et constitutivum.

17. Amittitur autem hæc virtus, non solum per voluntariam pollutionem aut consensum in delectationem carnalem, sed per simplicem consensum in rem veneream, etiam seclusa pollutione aut delectatione; ut si quis simpliciter statueret nubere, aut fornicari, aut tangere impudice. « Quia tunc, inquit Billuart (*Ibid.* art. 5. *Dico* 2°), « deficit a proposito perpetuo abstinendi ab omni re vene- « rea, in quo sita est virginitatis virtus ».

18. Quærit. Utrum virginitas amissa, quatenus est virtus, possit recuperari?

Resp. Vel ita amittitur ut, etiam quoad principale sui materialis, fuerit deperdita, si nempe contigeret præsertim voluntaria pollutio, et tunc recuperari nequit, qualiscumque peragatur pœnitentia : quia periit tunc, etiam quoad principale, materiale virginitatis, scilicet incorruptio seu immunitas ab omni experimento delectationis venereæ, quæ adest in resolutione seminis, et nulla pœnitentia efficere valet quod hoc materiale reviviscat : potest quidem Deus, ait S. Thomas (2. 2, q. 152, a. 3, ad 3), per miraculum reparare integritatem carnis, sed facere nequit ut, qui *voluntarie expertus est voluptatem, non fuerit expertus. Non enim Deus potest facere ut ea quæ facta sunt non sint facta :* cum vero recuperari nequeat virtus sine suo mate-

riali, ergo, in facta hypothesi, recuperari haud valet amissa virginitas.

19. Vel solummodo amittitur virtus virginitatis quoad suum formale, nempe propositum abstinendi in perpetuum ab omni dicto experimento delectationis venereæ, remanente materiali; et tunc, resumpta voluntate in posterum abstinendi, cum adhuc vere subsistat incorruptio, seu materiale virginitatis, adhuc invenitur quidquid requiritur in virtute virginitatis, ac proinde recuperatur. Imo, juxta Billuart (*Ibid.*, *Dico.* 5°), probabiliter idem dici potest casu quo amissa fuit virginitas per solam delectationem morosam, etiam accedente consensu in opus, nisi talis esset delectatio ut ex ea nata sit sequi pollutio, etsi de facto non fuerit secuta.

20. Sed quid, si fuerit amissa per actus libidinosos, ut sunt copula, tactus, aspectus turpes, etc., quin acciderit pollutio? Potestne tunc recuperari virtus virginitatis?

Verius tunc, juxta idem Billuart (*Ibid. Dico* n° 4), virginitas non potest reparari, saltem in iis qui, attenta ætate, sunt capaces seminationis; quia hujusmodi actus, ex natura sua et ex intentione agentis, ad pollutionem tendunt; et per accidens tantum evenit quod pollutio non contingat. Porro in moralibus judicium fertur de iis quæ sunt per se, et non per accidens : alioquin absurdum hoc admittendum foret, inquit idem, quod is, qui per solam delectationem morosam pollutionem semel sibi procuraret, amitteret irreparabiliter virginitatem, quam tamen non amitteret irreparabiliter qui sodomice centies fœdaretur absque pollutione, et quod is habere posset aureolam qua privaretur alter.

Excipit S. Thomas impuberes seminationis incapaces; sed advertit Cajetanus sexum femineum esse seminationis capacem ante pubertatis annos, etiam in sexto ætatis anno : unde mulieres longe citius quam viri possunt irreparabiliter amittere virginitatem. De quo vide etiam D. Rousselot, *in sextum Decalogi præceptum* J. C. Sættler, cap. 1, *Hinc* 2°.

21. An autem persona violata aut polluta in somno, brietate, amentia, aut per vim, amittat virtutem virgini-

tatis? — Respondetur negative, si violatio aut pollutio fuerit prorsus involuntaria, non solum in se, sed etiam in causa (secus est dicendum, ut diximus supra nº 11, quoad virginitatem naturaliter sumptam). Si vero, cum sit involuntaria in causa, post factum tamen placeat, virginitas quidem amittitur, sed reparabiliter per pœnitentiam : quia approbatio subsequens non facit voluntarium esse actum præteritum, nec de facto inducit corruptionem cujus immunitas sit materiale virginitatis. (*Ibid.*)

22. Ex his patet duplicem esse virginitatem, unam carnis, alteram animi et propositi : violata autem virgo quoad carnem potest retinere laudem et præmium, quamvis ad velum consecrationis non sit admittenda ex can. *Acutius*, dist. 26. Econtra consecrationem accipere potest virgo quæ amisit virtutem virginitatis, si adhuc integra remaneat ; sed aureolam non recipiet, nisi casu quo recuperarit, si adhuc ipsi liceat, virginitatem amissam. Vide Layman, lib. 3, sect. 4, *De Temper.*, nº 8.

23. Non expendimus quæstionem an virginitas pro Deo suscepta sit licita, ac matrimonio melior ; hoc negarunt quidem Lutherus ejusque sequaces ; sed satis refelluntur in tractatibus de matrimonio. De hoc legi etiam possunt 1 Cor. c. 7, v. 8, 25 ; S. Matth. c. 19, v. 11 et 12 ; sufficiat hic referre can. 10 sess. 24 Conc. Trident. : « Si quis dixe« rit statum conjugalem anteponendum esse statui virgi« nitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius ma« nere in virginitate aut cælibatu quam jungi matrimo« nio, anathema sit ».

CAPUT II.

DE PECCATIS CASTITATI OPPOSITIS, SEU DE LUXURIA.

ARTICULUS I.

DE HUJUSMODI PECCATIS IN GENERE.

24. « Luxuria a verbo *luxare* sic nuncupatur : quia « hujus vitii proprium est vires animi et corporis relaxare

« ac dissolvere : unde aliquando etiam vocatur dissolu-« tio ». DD. Bouvier, *Dissert. in sextum*, etc. cap. I. « Est « autem luxuria, inquit Busembaum, ap. S. Liguor. « (lib. 3. n° 412), inordinatus appetitus vel usus delecta-« tionis, seu sensus venerei, qui fit cum commotione spi-« rituum generationi servientium, circa partes corporis « venereas. » Cæteræ delectationes, etsi sensitivæ vel sensitivorum, si ad venerea non ordinentur ad luxuriam non pertinent.

Delectatio quam inordinate appetit luxuria ideo vocatur *venerea* quia ex se tendit ad generationem, cui deam Venerem præsidem fingebant pagani.

25. Delectatio venerea alia est levis, alia vehemens. Levis est spirituum seu humorum spermaticorum generationi inservientium commotio adhuc longe remota ab effusione seminis; vehemens vero est eorumdem spirituum fortis commotio quæ in homine sano proximum seminis effundendi periculum importat.

26. Certum est luxuriam esse peccatum mortale ex genere suo, et quidem contra jus naturale.

1° *Est peccatum mortale ex genere suo* : legitur enim in epistola ad Galatas, c. 5, v. 19 et 21 : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia luxuria... et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur*. Ita omnes.

27. 2° *Est peccatum contra jus naturale*. Hoc fuit quidem negatum præsertim quoad fornicationem simplicem, circa quam triplex fuit error : *Primus* Nicolaitarum, Gnosticorum, quorumdam græcorum qui docuerunt fornicationem nullo jure esse illicitam, cui errori manifeste adhærent anabaptistæ, aliæque plures sectæ hodiernæ, quales sunt vulgo denominatæ Saints-Simoniens, Phalanstériens, qui omnes concubitum promiscuum permittunt et agunt. *Secundus* error fuit Durandi, qui docet fornicationem esse tantum peccatum veniale ex jure naturali, et solummodo a jure positivo habere quod sit mortale peccatum. *Tertius* error est Caramuelis et quorumdam aliorum qui contendunt fornicationem nullatenus esse malam intrinsece, sed

solum ex jure positivo. Ex quo sequeretur non esse malam apud gentes quæ legem positivam invincibiliter ignorant. Contra hos omnes dicimus, non tantum fornicationem, sed omnem luxuriam esse vetitam jure naturali.

28. Vel enim agitur de luxuria contra naturam, seu quæ adversatur generis humani propagationi, vel quæstio est de luxuria naturali quæ filiorum procreationi non est adversa.—Prior est manifeste peccatum contra jus naturale, cum actus venereus sit tantum licitus ob prolis et generis humani propagationem; unde ab Innocentio XI proscripta fuit propositio : *Mollities jure naturæ prohibita non est : unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali*. Est 49. Ergo, etc.—Posterior etiam jure naturali prohibetur ; et quidem huic juri adversatur fornicatio. Etsi enim ipsa non repugnet procreationi filiorum, contraria est tamen ipsorum nutritioni et educationi ; brutæ quidem a natura habent ut fere statim ab ortu sibi providere possint ac solummodo aliquandiu auxilio genitricis suæ indigent ; non autem idem est dicendum de homine, et experientia satis constat quod in infantia, ob ejus diuturnam debilitatem, ejusque naturalem rerum nescientiam et inexperientiam, per multos annos, non tantum matris sed etiam patris cura opus habeat. Unde ipsamet natura postulat ut in lucem non edatur nisi per parentes constanti vinculo inter se consociatos, id est legitimo conjunctos matrimonio. Quapropter ipsismet gentibus, ante earum ad Christum conversionem, fornicationis crimen Apostolus exprobrat, ut patet ex Epistola I ad Corinth., c. 6, v. 9-13.

Hinc ab Innoc. XI damnata fuit propositio sequens, quæ est 48 : *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur*.

29. Ne dicas Deum Osee (c. 1, v. 2) præcepisse ut sibi sumeret uxorem fornicationum : quia aliud est sumere uxorem fornicariam et aliud est fornicari : prius in se licet et id Deus Osee præcepit ; posterius vero illicitum est, nec ullatenus fuit prophetæ jussum.

Nec item dicas melius esse proli per fornicationem nasci quam nullo modo esse : quia in intentione creatoris non sufficit quod proles nascatur, sed insuper requiritur ut bene instituatur.

30. Si ergo fornicatio sit contra jus naturale, alia peccata luxuriæ naturalis sunt pariter contra idem jus : quippe vel continent omnem malitiam quæ est in fornicatione, ut adulterium, concubinatus, stuprum, incestus, sacrilegium; vel ad ipsam disponunt et excitant, ut cogitationes turpes, desideria impura, aspectus et tactus inhonesti, lectiones et colloquia obscena.

31. Quærit. 1° An in peccatis luxuriæ dari possit materiæ levitas?

Resp. Vel res venerea est directe vel indirecte solum volita. Si prius : affirmative sentiunt quidam DD. inter quos Sanchez (lib. 9, disp. 46, n° 9), Navarrus, Sotus, etc., modo tamen absit periculum pollutionis aut consensus in actum carnalem ; et hoc dicunt posse contingere si, v. g., attrectaretur manus vel pes feminæ, si premeretur aut vellicaretur ipsius brachium, si intorquerentur digiti, etc. Idem tenere videtur Tambur., sed alia via procedit, et distinguit cum Palao inter res venereas, et materias luxuriæ quæ latius patent, inquit, ad sensum tactus ; in prioribus quidem fatetur non dari parvitatem materiæ, sed dari posse contendit in posterioribus. Hinc juxta ipsum tactus levis ex joco, vel cum delectatione non venerea, culpam venialem non excedit. « His tamen non obstantibus, ait « S. Lig. (lib. 4, n° 415), omnino tenendum est cum « Viva... quod omnis delectatio carnalis sive luxuriosa « cum advertentia et deliberatione capta, sit mortale pec- « catum, maxime post... proposit. 40 quæ dicebat : *Est « probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum « habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ « ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et « pollutionis*. Si enim in osculis non datur materia levis, « nec etiam danda est in aliis tactibus cum delectatione « carnali. Ratio, quia quævis carnalis delectatio, sive com- « motio spirituum generationi deservientium est quædam « inchoata pollutio, seu motus ad pollutionem. Merito

« igitur Tourn. Contin... et Salmant... actus supra relatos « scilicet vellicare manum feminæ, intorquere digitos, etc., « damnant peccati mortalis, ob delectationem carnalem « quæ tunc habetur, vel saltem ob ipsius proximum peri- « culum. Et merito pariter Croix... rejicit opinionem « Arriagæ qui dicit non graviter peccare, qui sponte « consentit in tales motus leves carnales sponte obve- « nientes. »

32. Si posterius, nempe si res venerea sit indirecte duntaxat volita, scilicet in causa, tunc dari potest materiæ levitas; imo aliquando contingit ut, absque ulla culpa, causa earum ponatur. Quod ut clarius pateat, distinguendum cum S. Liguor. de pollutione disserente (lib. 3, nº 482, etc.): vel causa graviter influit in rem veneream, ut puta pollutionem; vel leviter tantum ad illam tendit. In prima hypothesi, si causa sit per se culpa gravis in genere luxuriæ, veluti tactus vel aspectus pudendorum alieni aut proprii corporis cum delectatione turpi et deliberata, aspectus concubitus humani et cogitationes morosæ de rebus venereis, tunc pollutio inde eveniens imputatur ad peccatum etiam mortale, licet non fuerit intenta, modo saltem in confuso prævisa fuerit; et hoc est certum apud omnes. Item recte dicit Sporer de pollutione orta ex actionibus, quæ licet sint veniales per se et ex objecto, evadunt tamen mortales ratione periculi proximi consentiendi in ejus turpem cogitationem. « Hinc dicendum, addit S. Liguor., « non excusari a malitia pollutionis qui polluitur ex diu- « turno colloquio cum puella a se inordinate dilecta, sal- « tem ob periculum consensus. »

33. Si tamen, pergit S. Liguor. (*ib.* nº 483), præfatæ actiones ponantur ex causa necessaria vel utili, tunc pollutiones, etsi prævisæ, non sunt culpabiles, dummodo absit consensus aut ejus periculum. Ita communiter. Hinc, etiam, prævisa pollutione involuntaria, licet confessario audire mulierum confessiones, aut legere tractatus de rebus turpibus; chirurgis aspicere et tangere partes inhonestas feminæ ægrotantis; cæterisque omnibus licet alloqui, osculari aut amplexari mulieres juxta morem triæ, servire balneis et similia; item licet ei qui magnum

pruritum patitur in verendis illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur, modo ei non assentiatur. Croix tamen sapienter monet eos qui puritatem amant, ut se iis abstineant; et Roncaglia hoc idem merito prohibet, casu quo pruritus non sit valde molestus. A fortiori licent cæteræ actiones nullatenus inhonestæ, si aliunde utiles sint, etsi prævideatur secutura pollutio : sic licet equitare, causa tamen utilitatis, et etiam causa recreationis, juxta Sporer et alios plures; licet pariter decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum, vel cibos calidos aut potus moderate sumere; imo, addit S. Liguor., etiam honestas choreas ducere; et ita communiter, consentanee verbis S. Thomæ (2. 2, q. 64, art. 7) : « Quando causa habet duos « effectus, unum bonum alterum malum, poni potest ex « intentione solius effectus boni, permissive se habendo ad « malum. »

34. Si pollutio prævisa sequatur ex causa leviter in eam influente, sed præter voluntatem, estne tunc peccatum mortale, posito quod nulla sit necessitas aut utilitas illius causam ponendi? — De hoc multum disputant DD. : *Prima* sententia affirmat mortales esse omnes pollutiones prævisas et non impeditas, etsi alias causa sit licita. *Secunda* sententia dicit pollutionem esse mortalem quotiescumque causa est licita, etsi leviter. *Tertia* sententia tenet pollutionem solummodo esse mortalem, quando procedit ex peccato quod in se est mortale : et pro hac sententia videtur stare S. Thomas (3 part., q, 80, art. 7). *Quarta* demum sententia docet pollutionem non esse mortalem nisi proveniat ex causa mortali in genere luxuriæ. Ita communiter et probabilius; et ratio est quia, cum ex hypothesi causa leviter influat in pollutionem, non potest esse gravis obligatio illam causam vitandi ob pollutionem, quæ alias non est in se volita ; sed si causa sit mortalis in genere luxuriæ, tunc poni nequit deliberate talis causa quin exponat periculo proximo consentiendi effectui exinde subsecuturo, scilicet pollutioni, ob naturæ humanæ corruptionem.

35. Hinc infertur I non esse nisi venialem pollutionem quæ oritur ex colloquio non diuturno aut leviter obsceno cum puella, vel ex levi aspectu aut visu partium honesta-

rum mulieris, aut ex curiosa lectione venialiter turpi. Ratio quia hominibus est quasi moraliter impossibile omnes has causas communiter evitare.

Idem de pollutione involuntaria orta ex lectione turpi facta ob curiositatem, sine pravo animo, aut periculo in iis rebus se delectandi dicunt Lessius, Bonacina, Sporer, etc., sed iis in praxi non acquiescit S. Liguor., præsertim si ob lectionem turpem, solius curiositatis causa factam, frequenter acciderit pollutio; et generaliter ait cum Salmant. et Roncaglia « non excusari a mortali eum qui fre-« quentem pollutionem expertus sit ex aliquibus causis in « eodem genere luxuriæ quæ vehementius ad pollutionem « influunt, et alias voluntarie ac sine necessitate ponit, « quamvis ipsa per se non pertingant ad mortalia, uti « sunt nimirum curiosa lectio turpis, aspectus picturæ « obscenæ, vel coitus animalium, tactus propriorum ve-« rendorum, aut alterius ex levitate, et similia. Ratio est « quia respectu istius personæ, ob suam pravam dispo-« sitionem, talis causa non leviter influit; secus vero di-« cunt si pollutio ex hujusmodi causis raro eveniat. »

36. Infertur II mortalem non esse pollutionem ortam ex ebrietate aut ex comestione carnis nimis immoderata aut in die vetito; et tanto magis si causata fuerit ex actione venialiter mala, sed non in genere luxuriæ, etsi hæc causa posita fuerit absque rationabili motivo : sed tunc probabilius adest peccatum veniale: quia semper est aliquid indecens et deordinatum sine causa rationabili permittere pollutionem. Ab hoc vero veniali excusat quævis causa rationabilis necessitatis, utilitatis aut convenientiæ, etsi alias causa fuisset leviter illicita in eadem materia luxuriæ. Ita communiter juxta S. Liguor. (ib.)

Ergo contingere potest quod adsit materiæ levitas in re venerea indirecte tantum volita; imo quod aliquando absit tunc omne peccatum : et quod dicitur de pollutione, a fortiori est affirmandum de simplici delectatione venerea et de inhonestis motibus, quibus non datur assensus.

37. Quærit. 2° An dari possit materiæ levitas in delectatione sensibili seu organica capta in iis quæ delectationem veneream provocare possunt ? (Supra n° 5.)

Resp. multos affirmative sentire, et cum eis Billuart (*De Temper.* disp. 5, art. 2) pro certo habet posse, speculative saltem, contingere materiæ levitatem in hujusmodi delectatione. Quia, sicut qui audit vocem sonoram, vel gustat cibum sapidum, præcise propter delectationem organicam, non peccat nisi venialiter, ita pariter nonnisi venialiter peccare debet qui aspicit pulchram mulierem, aut tangit ejus manum vel faciem, ob solam delectationem mere organicam; addit tamen : « Quia a delectatione sensuali ad veneream, maxime in sensu tactus aut visus, facilis est progressus, consultum est omnibus castitatem amantibus his delectationibus organicis non immorari. »

Est nihilominus alia sententia negans, quam S. Ligor. (lib. 3, n° 416) omnino tenendam putat, eo quod prior sententia non ipsi videatur practice probabilis, « quia ob « corruptam naturam est moraliter impossibile habere « illam naturalem delectationem (mere organicam) quin « delectatio carnalis et venerea sentiatur, maxime a per- « sonis ad copulam aptis, et maxime si actus isti habeantur « cum aliquo affectu et mora ». Id tantum admitteret sanctus auctor in aliquo casu raro, quo per longam experientiam quis esset moraliter certus nullum periculum consensus ipsi imminere; sed, inquit, *hic casus quando erit*? Notat insuper aliud esse agere propter delectationem sensibilem, aliud cum tali delectatione : in quo bene potest dari parvitas materiæ, modo non sistatur in ea, sed detestetur in tactu ; alias non solum cum delectatione sed etiam ageretur propter delectationem, *quod non potest esse sejunctum a periculo incidendi in delectationem veneream*.

ART. II.

DE PECCATIS LUXURIÆ IN SPECIE.

38. Dividuntur in peccata luxuriæ consummatæ et peccata luxuriæ non consummatæ : luxuria vero consummatur per effusionem seminis; porro semen est humor viscosus ad generationem et speciei conservationem ab ipso Creatore destinatus : unde essentialiter differt ab urina quæ

est secretio in sublevamen naturæ ejicienda, prout etiam excrementa. Differre adhuc videtur ab humore qui fluit in distillatione, quique est quasi medius inter urinam et semen, quocum tamen coloris et viscositatis similitudinem gerit, sed sine eadem ingenti delectatione emanat.

Præsentem articulum partiemur in duos paragraphos: in 1° De peccatis luxuriæ consummatæ; in 2° De peccatis luxuriæ non consummatæ verbum faciemus.

§ I.

De peccatis luxuriæ consummatæ.

39. Alia sunt secundum naturam, quando nempe exercentur eo modo qui generationi speciei humanæ non adversatur : si videlicet in concubitu servatur sexus diversus, species eadem, vas et modus naturalia; alia sunt contra naturam, si semen effundatur modo ad generationem non apto, id est si modò enumerata non serventur, sive id fiat in concubitu, sive extra concubitum.

PUNCTUM I.

DE LUXURIÆ CONSUMMATÆ PECCATIS GENERATIONI NON REPUGNANTIBUS.

40. Sex hujusmodi peccata recensentur, videlicet : fornicatio simplex, stuprum, raptus, adulterium, incestus et sacrilegium.

I. — De simplici fornicatione.

41. Fornicatio sumitur interdum pro quovis illicito concubitu, ut in S. Matthæo, c. 5, v. 33 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta* FORNICATIONIS *causa, facit eam mœchari;* sed communius per hanc intelligitur *concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu.*

Per verba *soluti* et *soluta* intelligendi sunt qui liberi sunt a vinculis, sive voti simplicis aut solemnis, sive cognationis aut affinitatis in gradibus prohibitis, sive matrimonii.

42. Plures supprimunt verba *ex mutuo consensu*, eo quod

opinentur adesse stuprum si virgo etiam consentiens defloretur; sed cum alii plures cum S. Liguorio [1] exigant ad stuprum quod virgo invita violetur, probabile saltem est casu quo virgo suæ deflorationi consentit, quod tunc adsit duntaxat simplex fornicatio, ut fusius infra dicetur (60 etc.).

43. *Certum est, et quidem de fide, juxta Billuart* [2], *fornicationem simplicem esse peccatum mortale.* Est contra Nicolaïtas, et Gnosticos (27).

Propositio constat 1° Scriptura : legitur enim in Deuteronomio, c. 23, v. 17 et 18 : *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui..., quia abominatio est utrumque apud Dominum.* Epistola autem ad Galatas sic habet : *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,* etc. *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Vide insuper 1 ad Corinthios, c. 6; *ad Ephesios*, c. 3; *ad Hebræos*, c. 13; et *Apocalypsim*, c. 21. Unde S. Fulgentius [3] ait : *Fornicatio nunquam potest esse sine gravi crimine.*

Constat. 2° Etiam ratione : Fornicatio est concubitus importans per se inordinationem quæ grave nocumentum infert non solum proli nasciturae, sed etiam bono communi et societati ob pravam educationem quam proles solet tunc accipere : quod quidem nocumentum sat gravis momenti est ut nequeat tunc abesse peccatum mortale. Ergo secundum se fornicatio est lethale peccatum. Vide supra proposit. 48 ab Innoc. XI damnatam. (28.)

44. Neque dicas fornicatores posse pacisci de cohabitatione servanda quamdiu erit necessaria ad prolis educationem, aut alias providere. Nam respondetur hoc esse per accidens actui fornicario, et in actibus humanis bonitatem aut malitiam esse attendendam ex his quæ illis per se conveniunt, non autem; quæ per accidens ergo, etc.

Neque reponas : sicut non esset homicida tam is qui, lapidem projiciendo, cavisset ne quis læderetur, quam alter

1. Lib. 3, n° 443.
2. De temper. Diss. 6, art. 2, Dico 1°.
3. Epist. 1, c. 1.

qui, sumendo venenum mortiferum, illius vim antidoto elideret, sic pariter non peccaret fornicator providendo ne nocumentum proli eveniret. Nam 1° de se non convenit jactui lapidis ut lædat, sed tantum per accidens, dum de se fornicationi inest ut proli et societati noceat; et quamvis 2° idem dici nequeat de sumptione veneni, cum de se noceat, et tamen non sit illicita nisi in quantum est nociva, hoc procedit quod sumptio veneni non inducat periculum hallucinationis, sicut invehit fornicatio ob delectationem ipsi, non vero sumptioni veneni, inhærentem.

« Fornicatio, inquit S. Liguor. [1] semper est intrinsece « mala, licet aliquando per accidens a fornicario proles « bene educaretur. Ratio, tum quia in hoc. ob magnum « periculum hallucinationis, causa nimiæ delectationis « facillime errari potest; tum quia natura considerat quæ « communiter, non quæ per accidens eveniunt; tum quia « de se est contra jus naturæ carni rationem subjicere, ut « accidit in fornicatione ob delectationem actus. In matri« monio autem, esto eadem delectatio interveniat, Deus « tamen speciali providentia disponit ut talis deordinatio « absit ».

Etsi fornicatio sit intrinsece mala, attamen juxta S. Thomam et alios, dari posset, inter barbaros præsertim, ignorantia invincibilis de ipsius malitia [2].

15. Quærit. 1° An graviter peccet mulier non resistens turpi congressui alterius, ob metum mortis, supposito quod non consentiat?

Resp. duplicem esse sententiam: *Prima*, quæ est Navarri, Soti, etc., negat virginem aut mulierem teneri tunc mortem pati potiusquam stuprari; sed, juxta eosdem posset permissive se habere, modo voluntate positiva resistat et absit consensus periculum: quia, inquiunt, permissio illa est tantum cooperatio materialis, quæ satis excusatur ob mortis periculum. *Secunda sententia*, quam tenent Salmantic. cum Lugo et aliis, docet hoc esse illicitum, quia cum posset femina copulam impedire, ipsius permissio

1. Lib. 3, n° 432.
2. Billuart, *ibid.*, *Appendix* 1, pet. 1°.

est vera cooperatio in copula, et reputari debet ut actio. De hoc vide S. Liguor. [1] qui addit : « Hæc ratio tamen « non convincit quia illa quies non potest dici actio, dum « nullo modo est positiva. Ideo prima sententia, specu- « lative loquendo, sua probabilitate carere non videtur. « Non tamen negandum secundam sententiam in praxi « omnino suadendam esse, saltem ob periculum consen- « sus, quod in illa permissione facile adesse potest ». In numero autem 430, idem sanctus Doctor de prima sententia dicit quod sit *potius speculative quam practice probabilis.*

Notandum vero est quod casus hîc discussus, non idem sit præcise ac ille in quo casta Suzanna implicata fuit : infames enim duo senes non minabant illam statim occidere, sed tantum eam se accusaturos esse de patrato cum certo juvene adulterio, si suo desiderio non assentiret : in quo casu non videtur posse dubitari quin ipsa teneretur se gerere prout tam nobiliter fecit.

46. Hîc subsidiarie inquiri adhuc potest, an puella violenter oppressa, possit incontinenti semen viri immissum expellere ne concipiat.

Affirmat Sanch. cum aliis quibusdam; sed rectius, inquit S. Liguor (lib. 6, n° 954, v° *Dubitatur*), hoc negatur ab aliis, quia nunquam licet ejicere semen receptum in utero, eo quod tunc fiat naturæ injuria, propagationem speciei humanæ impediendo, et tunc sit quædam participatio crimini abortus. Posset tamen, imo teneretur mulier vi oppressa se vertere et coitum interrumpere, quamvis semen extra vas effunderetur, quia sic non expellitur semen immissum sed impeditur ne immittatur.

47. Quærit. 2° Quid sit concubinatus?

Resp. Concubinatus est concubitus inter eos qui, etsi legitimo non sint conjuncti matrimonio, tamen uxorio modo inter se vivunt, sive in eadem sive in diversa domo maneant. Cum vero hujusmodi crimen, si sit inter liberos, simplici fornicationi superaddat tantum circumstantiam habitudinis ac continui peccandi propositi, non specie dif-

1. Lib. 3, 433 et 368.

fert quidem a fornicatione simplici, sed est tamen circumstantia regulariter in confessione declaranda, saltem si confessarius interroget : cum absolutio nequeat ordinariè concubinariis dari, nisi concubina prius ejiciatur et abrumpatur concubinatus. Unde damnata fuit sequens propositio ab Alexandro VII : *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* REGALO, *dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent et alia famula nimis difficile inveniretur.*

48. Quærit. 3° An absolvi possit concubinarius, qui sine scandalo aut infamia concubinam e domo sua ejicere nequit ?

Resp. Absolvendum non esse ordinarie, nisi in casibus rarissimis in quibus aliter nequiret vitari grave damnum famæ aut fortunæ; et etiam tunc expedit omnino ut illi absolutio differatur donec constiterit de ejus continentia. « Nisi casus esset, inquit S. Liguor., quod pœnitens, « satis alias dispositus..., non amplius redire posset ad se « confitendum ; vel si immineret necessitas communicandi « ad vitandam positivam infamiam [1]. »

In extremis constitutus neminem habens præter concubinam qui sibi necessaria ministret, potest absolvi, modo promittat, etiam coram astantibus si commercium fuerit publicum, se quam primum potuerit concubinam ejecturum. Idem est dicendum de concubina in eadem necessitate constituta [2].

49. At casu quo concubinarius, citra periculum scandali aut infamiæ valet concubinam dimittere, potestne absolvi, si serio promittat illam esse ejecturum?

Resp. Quosdam affirmare pro prima aut secunda vice, ut Sancius, etc. ; alios omnino negare etiam pro prima vice, si occasio sit præsens : ita Navarr., Palaus, etc, ; alios tandem distinguere inter casum concubinatus publici et ca-

1. Lib. 3, n° 435. Vide pariter lib. 6, nos 455, 458.
2. Rousselot, in *sextum Decalogi præceptum*; J.-C. Sættler, c. 1, art. 1, q. 3°, ad 6m.

sum quo idem est occultus; et juxta ipsosmet, non est absolvendus publicus concubinarius nisi prius concubinam dimittat, si sit in domo; aut nisi ad eam per notabile tempus desinat accedere, si extra domum maneat; et hoc etiamsi magni det signa doloris, quia scandalum esset talem peccatorem ad sacramenta admittere, nisi signa resipiscentiæ prius ostenderit, cum publicus peccator publice debeat pœnitere. Si vero concubinarius esset occultus, nec etiam tunc, juxta eosdem, ipsi absolutio esset impendenda, nisi in casu raro quo dedisset signa extraordinaria contritionis. Ita Lugo, Salmanticenses, etc., apud S. Liguor. [1] qui addit : « Hoc tamen tantum admittendum puto, « quando moraliter sit impossibile quod concubina ante « absolutionem brevi dimitti possit; vel quando urgeat « necessitas communicandi ob vitandam magnam infa- « miam... : Nam alias semper absolutio est differenda, « quia experientia nimis constat quod, obtenta absolutione, « difficulter occasio postea aufertur, et sic facillime reditur « ad vomitum [2] ».

50. Nec etiam esset absolvendus qui passim haberetur ut concubinarius, etsi revera non esset, nisi existimatam concubinam removeret, aut saltem satis ostenderet talem non esse [3].

51. Concubina potestne absolvi antequam e domo concubinarii discedat si ab ipso sustentetur?

Resp. negative, nisi ex discessu sibi aut aliis grave eveniret damnum, infamia nempe aut scandalum; vel nisi impotens esset aliter sibi providere et mendicare cum dedecore deberet. Sed etiam in his casibus regulariter absolutio est differenda [4].

Quid de famulabus cum domino peccantibus? Possuntne absolvi si herum non deserant?

Resp. absolvi posse, si semel vel bis tantum peccaverint, et admonitæ à confessario occasionem tollere curaverint;

1. Libr. 3, nº 436.
2. V. adhuc *ibid.*, nº 456.
3. Rousselot, *ibid.*, et S. Liguor., lib. 3, nº 432.
4. S. Liguor., lib. 3, nº 437.

secus si removere neglexerint. « Nunquam eas absolve« rem, inquit S Liguor.[1], si peccatum fuerit frequens, « nisi in casu gravis necessitatis, supposito quod fuerint « sufficienter dispositæ; et etiam in eo experimentum quæ« rerem. »

52. An autem obligandus sit concubinarius ad removendam concubinam, si id agere nequeat sine gravi detrimento famæ aut fortunæ, si, v. g., sua esset debitrix magnæ summæ?

Resp. hoc etiam esse controversum inter Doctores, ut videri potest apud S. Liguor.[2], qui addit : « In omnibus « his casibus expedit omnino ut differatur absolutio usque « ad emendationem. »

53. Quærit. 4° Quænam sint pœnæ a jure canonico latæ contra concubinarios?

Resp. Quoad concubinarios in genere sic habet Concil. Tridentin. Sess. 24, c. 8, *de Reform.* : « S. Synodus... sta« tuit... concubinarios tam solutos quam uxoratos, cujus« cumque status, dignitatis et conditionis existant, si, « postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea « de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum « consuetudine non sejunxerint, excommunicatione fe« riendos esse, a qua non absolvantur, donec reipsa admo« nitioni factæ paruerint ». Hæc pœna, ut patet, est tantum ferendæ sententiæ. Decernit deinde Concilium quod Ordinarius ad alias pœnas procedat si concubinarii in concubinatu per annum, neglectis censuris, permanserint. Et quoad concubinas, statuit ut si, ter monitæ, non paruerint, ab Ordinario pro modo culpæ puniantur, etiam ex officio, et extra oppidum vel diœcesim, invocato, si opus sit, auxilio brachii sæcularis, ejiciatur; sed frustra apud nos hodie invocaretur hujusmodi auxilium.

54. Quoad vero clericos hæc habet idem Concilium (Sess. 26, c. 14, *de Refor.*) : « Prohibet S. Synodus quibus« cumque clericis ne concubinas, aut alias mulieres, de « quibus posset haberi suspicio, in domo vel extra detinere,

1. *Ibid.*
2. Lib. 3, n° 441.

« aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alio-
« quin pœnis [1] a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum
« impositis puniantur. Quod si a superioribus moniti, ab
« eis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventio-
« num ac proventuum (*non vero distributionum quotidia-
« narum, ut à S. Congr. fuit decisum apud Salmantic. c. 2,
« n⁰ 66*) beneficiorum suorum quorumcumque et pensio-
« num ipso facto sint privati; quæ fabricæ Ecclesiæ aut
« alteri pio loco, arbitrio Episcopi, applicetur. Sin vero in
« delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes,
« secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum
« fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et
« pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicen-
« tur, sed etiam a beneficiorum administratione, quoad
« Ordinarius... arbitrabitur, suspendantur; et si ita sus-
« pensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam
« versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis et pen-
« sionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur,
« atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus,
« dignitatibus, beneficiis ac officiis in posterum reddantur,
« donec post manifestam vitæ emendationem... cum eis
« ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam
« eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere,
« aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere
« ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunica-
« tionis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut
« exemptio prædictam executionem impediat aut suspen-
« dat... (*Episcopi*) sine strepitu et figura judicii, et sola
« facti veritate inspecta, procedere possunt. Clerici vero
« beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes, juxta
« delicti et contumaciæ perseverantiam et qualitatem, ab
« ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine,
« ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta
« sacros canones, puniantur. » Deinde Concilium indicat
quomodo foret procedendum contra ipsos Episcopos si,
quod absit, in præfatum crimen incidissent.

1. Pro efficaciter procuranda hac privatione respectu non obtempe-
rantium, concursus gubernii apud nos in Gallia necessarius esset : at
sæpe nonnisi difficillime obtineretur hujusmodi concursus.

Observat S. Liguor.[1], post Salmanticenses, non esse privandum tertia parte fructuum clericum qui semel tantum post monitionem peccaverit.

55. Animadvertendum vero est quod, si agatur de iis qui curam habent animarum, de parochis nempe, sufficiat, ex Concilio Trident.[2] semel eos admonere ut emendentur, *et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habent* Episcopi. Imò consentire videntur omnes quod in casu simplicis fornicationis, præsertim publicæ, possit Episcopus statim procedere ad depositionem, si talis esset regionis consuetudo; et hoc firmari potest citatis Concilii Trident. verbis : *alioquin pœnis... a statutis ecclesiarum impositis puniantur.* Sed in hoc casu procedendum esset juxta consuetas judicii formas, et per appellationem tunc sententia suspensa foret.

An autem clerici publici concubinarii sint ipso facto suspensi, controvertitur, ut est videre apud S. Liguorium[3].

56. Quærit. 5° Quid sit meretricium et an specie differat a simplici fornicatione?

Resp. meretricium considerari posse vel tanquam statum, aut velut actum. Priori modo consideratum est conditio mulieris omnibus expositæ; posteriori vero, est viri concubitus cum hujusmodi muliere, vel ejusdem mulieris cum viro occurrente.

Meretricium est certe gravius simplici fornicatione ex parte mulieris, ratione pravæ peccandi dispositionis, scandali et nocumenti prolis quæ raro ex meretricio nascitur, et pessime ordinarie educatur, dato quod contingat exinde nasci. Non ergo sufficit ut meretrix accuset numerum fornicationum, sed patefacere etiam debet meretricii statum. — Quoad virum, Billuart cum Sylvio et aliis docet non videri necessarium explicare in confessione an sit

1. Lib. 3, n° 442.
2. Sess. 21, c. 6, *De Reform.*
3. Lib. 3, n° 442, v° *Utrum.*

fornicatus cum meretrice, quia hæc circumstantia non est notabiliter aggravans, quippe tunc concubitus de se vim habet generandi et per accidens tantum impeditur generatio, prout pariter impeditur in congressu cum vetula aut sterili. Secus tamen alii sentiunt, juxta D. Rousselot [1], ipsique magis arridet illorum sententia; quia, inquit, *ideo conveniuntur meretrices ne nascatur proles;* sed ratio hæc vera non semper videtur, et ideo nobis anteponenda apparet prima sententia.

57. Quærit. 6° An permitti possint meretrices?

Resp. duplicem esse sententiam. *Prima,* quam tenent Salmant. cum aliis pluribus, affirmat, eo quod exhinc multa peccata majora vitentur : sodomia videlicet, bestialitas, mollities et honestarum mulierum seductio; huicque sententiæ clarè adhærent S. Augustinus [2] et sanctus Thomas [3] : *Aufer*, inquit S. Augustinus, *meretrices*, *turbaveris omnia libidinibus. Secunda sententia* negat,eamque practice probabiliorem vocat S. Liguor. [4] et cum eo D. Rousselot [5]: *quia*, inquit, *experientia constat meretricum tolerantiam peccata luxuriæ multiplicare*, *potiusquam efficere rariora; attamen*, *bene addit*, *absolvendi sunt magistratus qui bona fide putant malum istud tolli non posse.* « Bene advertit et « probat P. Sarnelli, ait S. Liguor. [6], quod licet, in vastis « urbibus, meretrices permitti possint, nullo tamen modo « in aliis locis permittendæ sint. »

Ex solutione præcedentis dubii concludere licet damnandum non esse eum qui domum suam meretricibus locat, suppositis tamen duobus, nempe 1° quod meretrices a magistratu loci tolerentur; 2° quod, ob meretricum vicinarum frequentiam, domus alteri locari nequeat, unde domino domus notabile damnum obveniret.

58. Quærit. 7° Quænam pœnæ ferantur a jure civili in Gallia contra fornicatores?

1. *In sextum Decalogi præceptum,* diss. 1, art. 1, q. 2°, *in fine.*
2. De ord., lib. 2, c. 4.
3. Opusc. 20, lib. 4, c. 24.
4. Lib. 3, n° 434.
5. *Ibid*, q. 3, *ad septim.*
6. *Ibid.*

Resp. nullas generatim à legibus nostris civilibus latas esse contra fornicationem simpliciter dictam, nisi concurrentibus quibusdam circumstantiis, publicitatis nempe vel infirmæ ætatis illius quocum committitur crimen.

1° Quoad circumstantiam publicitatis, sic habet art. 330 Codicis pœnalis : « Toute personne qui aura commis un « outrage public à la pudeur sera punie d'un emprisonnement de trois mois à un an, et d'une amende de seize « francs à deux cents francs. »

Si autem verbis duntaxat aut scriptis pudor publice læderetur, non præcedentis articuli applicationi locus esset, sed potius articuli 8, legis 17 maii 1819, in quo dicitur :

« Tout outrage à la morale publique et religieuse ou aux « bonnes mœurs par l'un des moyens énoncés en l'art. 1 « (*id est verbis aut scriptis publicis*), sera puni d'un emprisonnement d'un mois à un an, et d'une amende de « seize à cinq cents francs. »

2° Quoad circumstantiam *infimæ ætatis* illius quocum crimen committitur, habetur art. 331 Codicis pœnalis :

« Tout attendat à la pudeur, consommé ou tenté sans « violence sur la personne d'un enfant de l'un ou de l'autre sexe, âgé de moins de onze ans, sera puni de la réclusion. » Qua quidem pœna reus in carcere per quinquennium saltem, non autem ultra decennium detinetur ; pœna vero hæc habetur a lege velut *afflictiva et infamans* [1].

59. Latæ sunt insuper pœnæ contra eos qui solent ad libidinem provocare juvenes cujusvis sexus 21 annis minores.

« Art. 334. Quiconque aura attenté aux mœurs, en excitant, favorisant ou facilitant habituellement la débau« che ou la corruption de la jeunesse de l'un ou de l'autre « sexe au-dessous de l'âge de 21 ans, sera puni d'un emprisonnement de 6 mois à 2 ans, et d'une amende de cinquante francs à deux cents francs. Si la prostitution ou la « corruption a été excitée, favorisée par leurs pères et « mères, tuteurs ou autres personnes chargées de leur « surveillance, la peine sera de deux ans à cinq ans d'em-

1. V. Cod. pœnalis, art. 7 et 21.

« prisonnement et de trois cents francs à mille francs d'a-
« mende.

« Art. 336. Les coupables du délit mentionné au pré-
« cédent article seront interdits de toute tutelle et curatelle
« et de toute participation au conseil de famille : savoir
« les individus auxquels s'applique le premier paragraphe
« de cet article, pendant deux ans au moins et cinq ans
« au plus; et ceux dont il est parlé au second paragraphe,
« pendant dix ans au moins et vingt ans au plus. Si le délit
« a été commis par le père ou la mère, le coupable sera
« de plus privé des droits et avantages à lui accordés sur
« la personne et les biens de l'enfant par le Code civil,
« liv. 1, tit. IX de la puissance paternelle. — Dans tous
« les cas, les coupables pourront de plus être mis, par
« l'arrêt ou le jugement, sous la surveillance de la haute
« police, en observant, pour la durée de la surveillance,
« ce qui vient d'être établi pour la durée de l'interdiction
« mentionnée au présent article. »

II. — De Stupro.

60. Stuprum sumitur aliquando pro omni illicito concubitu, ut in Levitico, c. XXI, v. 9, et in libro Numer. c. 5, v. 13; sed communius hac voce designatur speciale luxuriæ peccatum.

Non autem sibi consentiunt Doctores circa naturam hujus sceleris, nec eodem modo illud definiunt : S. Thomas Gratianum et magistrum Sententiarum secutus, et cum eo antiquiores theologi, S. Bonaventura, S. Antoninus, Cajetanus, Toletus, Sylvius et alii plures tenent ad rationem stupri, quatenus est species distincta luxuriæ, sufficere congressum cum virgine quamvis absit violentia. Unde illud definiunt : *Illicita virginis defloratio* [1].

Econtra alii plures requirunt ad rationem stupri quod sit concubitus violentus; ita ut concubitus cum virgine

1 P. Gury, *ib.*, t. 1, nos 443 et 444, vocat stuprum vim illatam mulieri etiam corruptæ, sed immerito, cum supponant communiter D. D. ad rationem stupri requiri deflorationem virginitatis. V. Billuart, *De temper.*, art. 4, vo *Explicatur definitio*.

consentiente non sit peccatum distinctum a simplici fornicatione; sicque sentiunt Dominicus Soto, Navarr., Sanchez, Lessius, S Liguor., Card. Gousset, etc. Juxta hos theologos stuprum definitur : *Violenta virginis defloratio* [1].

Virginis nomine in utraque sententia non ea intelligitur quæ virtutem virginitatis ita servavit ut nullo peccato luxuriæ fuerit maculata, sed illa quæ virginitatis signaculum retinet integrum, etsi polluta fuerit etiam voluntarie, ideoque amiserit irrevocabiliter virtutem virginitatis. Vide supra (15-17).

61. Certum apud omnes est violentam virginis deflorationem specialem et quidem mortalem continere malitiam fornicationi superadditam et ab ipsa distinctam, imo distinctam a malitia injustitiæ quæ inest fornicationi violentæ respectu corruptæ : in violenta enim virginis defloratione non tantum fit puellæ injuria, illam cogendo ad peccandum contra castitatem in genere, sed illi injuria fit, ipsi rapiendo integritatem virginalem, quod est bonum maximi pretii apud puellas, quo præsertim honorantur et convenientia matrimonia facilius sibi comparant; porro ablatio violenta boni tantæ et tam legitimæ existimationis nequit esse immunis a speciali et mortali malitia distincta a malitia fornicationis, sive voluntaria ista fuerit sive etiam violenta, ergo etc.

Porro « per violentiam... hic intelligitur non solum vio- « lentia physica, sed etiam moralis, qualis est fraus et « metus; item importunæ preces et blanditiæ, quæ, juxta « judicium prudentum, in hac præsertin materia, violentia « moraliter reputantur; quales sunt eæ quas comitantur « magna promissa, oscula, tactus..., ac uno verbo eæ « omnes quibus ingenua mulier facile resistere non po- « test [2]. »

62. Sed ex dictis supra controvertitur an illicita defloratio virginis ultro consentientis sit species luxuriæ a simplici fornicatione distincta.

1. Etiam in hac sententia stuprum est fornicari cum virgine amente, ebria aut dormiente, quia violatur sine ejus consensu. (P. Gury, t.1, nº 426.)

2. Billuart, *de temper.*, diss. 6, art. 3, dico 1º.

Affirmantes in hoc adesse specialem difformitatem id deducunt, tum ex parte puellæ quæ sic impeditur a legitimo matrimonio et in via meretricandi ponitur, tum ex parte patris qui de ejus custodia sollicitudinem gerit, tum ex oppositione quam habet hujusmodi concubitus cum speciali virtute, virginitatis nempe : specificantur quidem peccata per oppositionem ad virtutes speciales.

Juxta patronos hujus sententiæ stuprum committeret etiam puella quæ libidinose se tangendo digitis aut instrumento claustrum virginale dirumperet [1].

Dicit tamen Billuart [2] stuprum virginis ultro consentientis addere tantum fornicationi malitiam venialem; huicque opinioni adhærere videtur RR. DD. Bouvier [3].

Item Billuart [4] asserit sententiam communem contra paucos esse quod masculus primo fornicans non committat stuprum; eo quod perdendo signaculum virginale non ponatur in via meretricandi, et quia, post pubertatis annos, mares absque custodia communiter discurrant.

63. Negantes vero dicunt in hac defloratione nullam per se adesse malitiam præter simplicem fornicationem: nulla enim tunc fit injuria neque virgini, quæ libere consentit, neque ipsius parentibus, qui jus non habent conservandi integritatem virginalem suæ filiæ ultra ipsius voluntatem. Undenam repetendum esset hujusmodi jus? — Non ex eorum jure procurandi suæ proli convenientes nuptias: cum ipsa possit, si lubeat, absque ullius injuria manere innupta. — Nec ex eorum jure protegendi et servandi ipsius integritatem, si quidem jus etiam habent servandi ipsius innocentiam, et tamen, fatentibus omnibus, jus eorum non læditur, cum ipsa jam corrupta sponte fornicatur; porro si in hoc casu jus parentum non læditur cur in altero?

Nec pariter speciale peccatum dici debet voluntaria virginis defloratio eo quod, ut contendit RR. DD. Bouvier [5],

1. Billuart, *ibid.*, dico 2°, colliges 1°.
2. *Ibid.*, dico 3°.
3. Dissert. in sext., etc., art. 3.
4. *Ibid.*, colliges 2°.
5. *Ibid.*, art. 2.

hujusmodi peccatum sit virtuti virginitatis oppositum; nam si hæc ratio sufficeret, ergo stuprum patraretur, non solum cum defloratur quæ habet integritatem virginalem, sed etiam quando coitus habetur cum ea quæ sine suo peccato jam deflorata, possidet eo instanti virtutem virginitatis, aut habetur cum masculo adhuc virgine; imo pollutio voluntaria sine copula etiam stuprum dicenda esset; porro consensu omnium, abest omnino stuprum in omnibus præfatis casibus, etsi concubitus et pollutio sint tunc opposita virtuti virginitatis, et ita opposita ut per ea hæc virtus irreparabiliter amittatur. Ergo ratio RR. DD. Bouvier non sufficit, etc.

64. Quid ergo in praxi sit agendum stante illo opinionum conflictu?

Resp. Agi posse videtur in praxi quasi certum esset deflorationi virginis ultro consentientis haud inesse malitiam veri stupri. Nam ipsemet Sylvius, qui opinionem affirmantem tenet, sic nihilominus concludit : « Quia tamen alia « sententia non caret probabilitate, idcirco non putamus, « damnandos eos qui a puella quidpiam istorum confitente « non quærunt an sit virgo an corrupta. » Et eo verius sic est agendum quod, etiam juxta plures primæ sententiæ adhærentes, inter quos Billuart et RR. DD. Bouvier, circumstantia virginitatis solam malitiam venialem superaddat voluntariæ fornicationi; porro nequit esse obligatio explicandi in confessione venialem circumstantiam ; præsertim cum esset maxime odiosum inquirere ab honestis puellis, quæ se accusant de delectationibus et desideriis in ordine ad copulam, an sint vel non virgines, et à juvene, an virginem concupierit nec ne : hujusmodi interrogatio nes facere est contra communem praxim, fatente ipsomet Billuart [1] qui addit : « Ingenue fateor me... in his puden- « dis et importunis interrogationibus faciendis, dum menti « occurrerent, graves molestias passum esse et aliis creasse, « mihique raro fuisse satisfactum. » Idem fatetur RR. DD. Bouvier, loco supra citato.

65. Disputatur an qui in vase præpostero virginem

1. *Ibid.*, dico 3°, prob. 3°.

cognoscit, stuprum committat;—alii affirmant eo quod sic violetur virgo : alii probabilius negant, quia in hoc casu non adest fractio claustri virginalis [1].

66. Quærit. 1° Quid sit restituendum pro illato stupro?

Resp. Vel deflorator matrimonium promisit vel non. — Si matrimonium promisit, et virgo libere consensit, commune est defloratorem ad nihil teneri erga defloratam. Controvertitur vero an teneatur satisfacere parentibus pro injuria ipsis illata : sed ipsemet S. Antoninus, qui affirmat, concedit ad hanc satisfactionem non teneri nisi post judicis sententiam. Peccat tamen virgo (et consequenter stuprator), contra pietatem parentibus debitam, et etiam contra obedientiam, si de tali crimine facta ipsi fuisset expressa prohibitio [2].

An autem violator puellæ consentientis restituere debeat parentibus damnum ipsis obveniens propter dotem quam augere debent ad filiam postea nubendam ? — Communissimè contra quosdam negatur: quia violator non magis in hoc parentibus injuriam facit quam ipsamet puella quæ, sicut potest respuere nuptias, potest se minus aptam ad illas reddere.

Excipe 1° si vir deflorationem propalaverit ; 2° si deflorator sit valde dives et puella pauper : quia tunc non censetur ipsa consensisse suæ deflorationi, nisi ex quodam pacto implicito compensationis; quidam tamen dicunt ad id violatorem solummodo teneri ex consilio et æquitate; 3° si ad aliquid dandum parentibus per judicem damnatus fuerit. Ita S. Liguor. [3]. — Dicit tamen D. Carrière quod, si judex ad aliquid damnet, puella nequeat id retinere, eo quod hujusmodi sententia nitatur falsa facti præsumptione [4].

67. Si autem virgo vi, minis, fraudibus fuerit violata, stuprator tenetur omnia damna honoris et fortunæ illata parentibus resarcire. Debet ergo augere dotem ut puella æque bene nubat ac si violata non fuisset: imo aliquid insuper ipsi

1. De hoc vide Sættler, ap. D. Rousselot, p. 37.
2. S. Liguor., lib. 3, n° 641, dub. 1.
3. *Ibid.*
4. *De Justitia*, n° 1351.

præstare, prudentum arbitrio, propter mœrorem et periculum vexationis a futuro marito patiendæ si corrupta cognoscatur. Et hoc etiam in dubio an puella fuerit nec ne prius ab alio corrupta, quia integra reputanda est donec oppositum certo probetur. Idem est dicendum in casu quo fuerit certe prius corrupta, si ex novo concubitu tantum famæ jacturam passa fuerit. Non tenetur tamen stuprator violatam ducere, cum ipsi matrimonium non promiserit; sed ad hoc posset per judicem damnari in pœnam sui criminis, ex cap. 1, *De adulter*.

Casu autem quo virgo injuste violata, æque postea bene nubat, ad nihil tenetur violator, nisi ante matrimonium dotem promisisset aut ad eam per judicem damnatus fuisset. Quidam tamen advertunt quod si mulier male tractetur a viro propter detectum stuprum, damnum ipsi compensare debeat deflorator [1].

68. Communissime negatur à DD. quod is, qui precibus tantum importunis, vel muneribus, vel promissis virginem ad crimen induxit, teneatur ad ipsam ducendam vel dotandam, nisi precibus junctæ sint minæ aut metus reverentialis; vel nisi preces adeo fuerint importunæ ut puella majus detrimentum putaverit illam vexationem quam virginitatis jacturam, quod tamen rarissime contingere debet; vel nisi vir inceperit tactibus et osculis vim inferre : quia, etsi puella deinde consenserit, in periculo sic consentiendi per vim antecedentem fuit violenter constituta; vel denique nisi puella ideo consenserit quia timuit diffamari sola cum defloratore qui nolebat discedere inventa. In his tamen et similibus casibus dicunt Salmanticenses violatorem tantum teneri ad partem, non vero ad omnem damnorum reparationem [2].

69. Si per promissionem matrimonii deflorator copulam extorsit, vel per veram promissionem id obtinuit vel per falsam. Si per veram, plures quidem, præsertim recentiores prout Carrière, Card. Gousset, DD. Lyonnet, etc., contendunt hanc promissionem minimè conscientiam li-

1. S. Liguor., lib. 3, n° 642.
2. S. Liguor., *ibid.*

gare, quia contractus, sub conditione illicita initus, invalidus est : sed communissime, juxta S. Liguor., tenetur hujusmodi promissionem revera obligare, quia in contractibus innominatis, *do ut des*, etc., conventio perficitur duntaxat quando fit rei traditio, unde nullo modo, casu posito, potest adesse obligatio ad rem turpem, ac proinde cessat ratio adversariorum. Vide P. Gury [1]. Votum tamen emittit S. Liguor. quod hujusmodi promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem invalidæ a jure declarentur.

70. Si per falsam promissionem extorserit, plures dicunt defloratorem satisfacere, damnum reparando per dotem ; sed communiter, juxta S. Liguor., etiam in hoc casu, Doctores tradunt communiter stupratorem obligari ad matrimonium, non solum ob Cap. I *De adulterio*, quod juxta sanctum Doctorem non satis probat, sed ob alia multa momenta, nempe 1° quia si deflorator virginem deceptam non ducat, nunquam ei reddet æquale ; 2° quia quando unus ex contrahentibus conventum ex sua parte implevit, alter ex justitia implere etiam ex sua tenetur, quamvis ficte promiserit : sic venditor tenetur tradere domum venditam pro qua pretium jam accepit quamvis ficte promiserit [2].

71. Excipiendum : 1° Nisi femina ex verbis aut aliis conjecturis potuerit facile advertere deceptionem promittentis. Ita communiter [3] : et hoc valde probabiliter contingit quando stuprator notabiliter excedit in nobilitate vel divitiis puellæ conditionem, et ista cognoscit hanc disparitatem. Ita S. Thomas [4] et alii plures contra Palaum et alios : et hoc est dicendum etiamsi stuprator juramento promissionem firmaverit, quia juramentum sequitur naturam contractus et non obligat ultra mentem promittentis. Imo, valde probabiliter ita est pariter dicendum, licet puella

1. T. I, n° 729.
2. S. Liguor., lib. 3, n° 642; Sættler, *in sextum*, etc., p. 80; Carrière, *de Justit.*, n° 1361, etc.
3. S. Liguor., *ibid.*, n° 643.
4. *Supplem.*, q. 46, art. 2, ad 4.

disparitatem ignoraverit, quia vir non tenetur plus reddere quam petiit mulier; porro, in facta hypothesi, mulier expetiit tantum nuptias cum viro similis conditionis; unde sufficit quod vir tunc damnum reparet, puellam scilicet dotando, vel ipsi providendo convenienter de nuptiis.

An autem vir teneatur ad damnum compensandum casu quo puella, ob disparitatem cognitam aut ob alias conjecturas, deceptionem potuerit percipere? — Hoc controvertitur; sententia autem negans vocatur probabilior a S. Liguorio [1], eamdemque tenet S. Thomas loco modo citato, et tute in praxi teneri potest.

72. Excip.: 2° Nisi ex matrimonio pessimus timeatur excitus; si, v. g., puella noscatur nimis levis, vel si ex matrimonio exorienda sint magna scandala, rixæ inter consanguineos; imo si ex illo dedecus obveniret familiæ viri; non teneretur iste ad tales nuptias, etiamsi vera fuerit promissio matrimonii, quia hujusmodi promissio esset de re illicita, ac proinde nulla; potest quidem virgo deflorata valide, quamvis illicite, condonare viro obligationem matrimonii promissi, etsi ex condonatione infama familiæ suæ obveniat, eo quod jus habeat matrimonio renuntiandi; sed vir nequit se obligare in dedecus familiæ propriæ, quia nusquam potest esse vinculum ad injuriam alteri irrogandam. Validum tamen esset matrimonium in facta hypothesi, quamvis illicitum [2].

73. Excip.: 3° Nisi solos tactus habuerit cum virgine, modo ipsi tactus aut familiaritates non innotescant, ex quo eveniat, ut, si non nubat, infamiam puella subire debeat. Ratio est quia soli tactus proportionem non habent cum onere ducendi in matrimonium, et ideo mulier facile potuit promissionis fictionem advertere. Attamen si mulier esset nobilis, et ex illis tactibus multum deturpata maneret, injuria ipsi illata æqualis esse posset promissis nuptiis [3].

74. Excip.: 4° Nisi vir qui cognovit feminam putans

1. *Ibid.*, dub. 3.
2. S. Liguor., *ibid.*, n° 645.
3. S. Liguor., lib. 3, n° 645.

esse virginem, corruptam inveniat; et tunc S. Liguor. probabilius existimat virum nec etiam teneri ad aliquid dandum pro copula sic obtenta, nisi pactum præcessisset aliquid præstandi, vel nisi ex copula mulier infamiam contraxisset, quia, juxta probabiliorem sententiam, alias damnum violatæ honestatis nequit pecunia compensari. Si vero ante copulam vir non ignorabat mulierem esse corruptam, distinguendum tunc et dicendum ipsum teneri ad damna casu quo mulier corrupta fuisset extra matrimonium; si vero corrupta fuisset ex matrimonio, verius dici debet quod tenetur ad ipsam ducendam quia tunc copula est æqualis matrimonio promisso [1].

75. Excip. 5° Nisi per virum non steterit quominus matrimonium fiat: et tunc si stet per puellam, vir ad nihil tenetur, etsi vere matrimonium promisisset, nisi tamen stuprator se finxerit melioris vel æqualis conditionis feminæ dum esset inferioris. Si vero steterit per parentes, verius putat S. Liguor. teneri tunc defloratorem ad damnum reparandum, quia promissio matrimonii principaliter fuerat facta ad hujusmodi damnum compensandum; proinde, deficiente accessoria, principalis subsistit obligatio [2]. Secus sentit D. Carrière, etiam casu quo vera fuit matrimonii promissio [3].

Si puella fuisset vi corrupta, probabilius vir teneretur illam dotare, casu quo ipsa nollet matrimonium contrahere cum stupratore [4].

76. Quærit. 2° An vir habens votum castitatis vel religionis teneatur ducere virginem a se defloratam post veram vel fictam matrimonii promissionem?

Resp. 1° Si votum fuit emissum post dictam promissionem, ad hanc implendam vir tenetur quia votum in facta hypothesi est omnino nullum utpote defloratæ injuriosum. Ita communiter.

2° Si emissum fuisset ante promissionem, duplex est

1. S. Liguor., lib. 3, n° 646, *in fine*.
2. *Ibid.*, n° 647.
3. *De Justitia*, n° 1366.
4. S. Liguor., *ibid.*, n° 648.

sententia. Prima *negans* obligationem promissionis matrimonii, eo quod sit nulla cum sit de re illicita, unde vir tenetur tantum ad damnum resarciendum, dotando vel de congruis nuptiis providendo. Secunda *affirmans*, quæ sic stabilitur : vel ficta fuit promissio, et in hoc casu, cum vir deceperit, tenetur indemnem reddere deceptam, matrimonium cum ex contrahendo; vel promissio fuit vera, et, copula peracta, tenetur illam implere promittens non obstante voto, quia debita onerosa semper sunt anteponenda gratuitis, qualia sunt vota. Unde si quis vovisset Ecclesiæ bona sua, et postea damnum alicui inferret, teneretur prius resarcire damnum, et postea votum implere. — Neque dicas, in casu, virum non potuisse promittere matrimonium; potuit enim sperare impetrationem dispensationis. Hæc secunda sententia certo et longe probabilior vocatur à S. Liguorio [1]. In præfata responsione supponitur puellam ignorasse votum à viro emissum; si secus esset, controvertitur an esset tunc obligatio illam ducendi. In gratiam vero sententiæ affirmantis dici posset quod puella potuit credere virum esse postulaturum dispensationem [2].

77. Quærit. 3° Ad quid teneatur is qui sub promissione matrimonii consanguineam aut affinem violavit?

Resp. Distinguendum est : vel matrimonium spopondit sub expressa conditione impetrandi dispensationem, vel absolute et sine conditione promisit. In primo casu, si tale sit impedimentum ut in eo S. Pontifex nunquam vel raro dispenset ut in 1° et 2° gradu transverso consanguinitatis, promissio reputanda est invalida; si econtra tale sit impedimentum ut in eo Papa soleat dispensare, alii dicunt invalidam pariter esse promissionem matrimonii, quia est promissio de re impossibili : qui enim inhabiles sunt ad contrahendum, inhabiles etiam sunt ad promittendum. Sed communius et verius, juxta S. Liguorium [3], alii tenent promissionem tunc obligare, quia promissio cum præfata

1. *Ibid.*, n° 649.
2. Carrière, *De Justit.*, n° 1369.
3. Lib. 3, n° 649, q. 4.

conditione minime reputari potest impossibilis, aut illicita. Casu autem quo impedimentum ignoraverit vir, cognoverit vero puella, dicit Sættler [1] virum non astringi tunc ad petendam dispensationem, sed tantum ad damnum aliter resarciendum, quia sibi imputare debet puella si non ducatur (ideoque non video cur vir in hac hypothesi teneatur ad damnum aliter resarciendum). Quod si ambo impedimentum ignoraverint, nec etiam tunc stuprator tenetur ad petendam dispensationem, nisi vi, metu vel alio modo injusto consensum extorserit, nec potuerit aliter reparare damnum quam ducendo stupratam.

Si promissio matrimonii fuerit absoluta, multi dicunt illam esse invalidam utpote illicitam; sed alii contendunt conditionem petendi dispensationem esse semper subintellectam.

Major est difficultas si promissio fuerit ficta, vel si vir voluerit absolute promittere. Tunc quidem promissio nulla est, utpote vel ficta vel de re illicita; et, si mulier potuerit prudenter fictionem advertere, ad nihil tenetur vir : secus si hanc non potuit advertere, quia tunc vir tenetur ad petendam dispensationem. Si vero promissor absolute promiserit non advertens impedimentum, vel culpabiliter non advertit, et iterum tunc tenetur ad matrimonium ob fraudulentiam, vel inculpabiliter, et in hoc casu non tenetur ad matrimonium si non possit dispensationem obtinere sine gravi incommodo, sed astringitur ad damnum compensandum; imo si damnum compensare non valet, ad matrimonium tenetur, posito quod facile dispensatio possit obtineri [2].

78. Quærit. 4° Ad quid teneatur fornicator erga prolem?

Resp. Vel mulier sponte et libere consensit, vel metu aut alio modo injusto ad crimen adducta est : in primo casu seductor et seducta æqualiter et in solidum tenentur prolem educare, donec sibi providere possit : hoc enim est officium naturæ, et æque tenentur illud adimplere seductor et seducta, quia uterque est causa æque princi-

1. In opere supra citato, p. 82.
2. S. Liguor., *ibid.*; Carrière, *De Justitia*, n° 1370.

palis prolis existentiæ. Juxta plures quidem theologos, mater olim tenebatur filio providere usque ad tertium ætatis annum, pater vero postea donec sibi sufficere valeret; at hoc non ex jure naturali, sed jure positivo, consuetudine saltem introducto; hodie vero apud nos tam filiis illegitimis quam legitimis applicatur artic. codicis 203, juxta quem filiorum cura tam ad matrem quam ad patrem pertinet. Si tamen seductor se obligasset ad omnes impensas solvendas, fidem servare deberet, imo æquitati consonum est ut absque etiam pacto speciali, plus conferat qui crimen consuluit aut ad illud impulit quamvis absque injustitia. — Si autem vi aut alio modo injusto mulier fuit ad crimen adducta, tenetur ex integro providere sorti prolis qui injustitiam commisit; et ad hoc vim passa non tenetur nisi in seductoris defectum [1]. Et quod dicitur hîc de muliere dicendum est pariter de juvene, si vi aut aliter ad crimen injuste impelleretur [2].

79. Quærit. 5° An casu quo proles fuit exposita, parentes ad aliquid teneantur erga xenodochium ?

Resp. Certe eos ad nihil teneri si sint pauperes; si vero sint divites, quæstio controvertitur : ad nihil tunc adhuc teneri probabilius habet S. Liguor. [3], cum aliis pluribus, quia xenodochia instituta sunt, non tantum ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus, ne, ob infamiæ periculum, perpetrentur abortus, infanticidia, et sic in æternum infantes pereant. — Contra sentiunt alii plures apud D. Carrière, ubi est videre quid in hac sententia sit restituendum xenodochiis [4]. — Quidquid autem opinetur circa hanc quæstionem adhortandi sunt saltem divites genitores ad aliquid nosocomio tribuendum; hocque ipsis, etiam titulo pœnitentiæ imponi posset [5], etsi ad id aliàs stricte non teneantur.

80. Quænam pœnæ sint a jure civili latæ in Gallia contra stupratores ?

1. *V.* Carrière, *De Justitia,* nis 1371, 1372.
2. Rousselot, *In sextum,* p. 83.
3. Lib. 3, n° 656.
4. De Justit. nis 1373, 1374. Vide etiam Rousselot, ut supra, p. 84.
5. P. Gury, *Compendium,* t. I, n° 705.

Resp. Sic habet Codex pœnalis noster : « Art. 331. Tou
« attentat à la pudeur, consommé ou tenté sans violenc
« sur la personne d'un enfant de l'un ou de l'autre sexe
« âgé de moins de 11 ans, sera puni de la réclusion (pein
« afflictive et infamante qui consiste en la détention d
« condamné dans une maison de force pendant cinq an
« au moins et dix ans du plus. Art. 7 et 21 du Cod
« pénal). »

« Art. 332. Quiconque aura commis le crime de vio
« sera puni des travaux forcés à temps (cinq ans au moins
« vingt ans au plus). — Si le crime a été commis sur l
« personne d'un enfant au-dessous de l'âge de 15 ans ac
« complis, le coupable subira le maximum de la peine de
« travaux forcés à temps (vingt ans). — Quiconque aur
« commis un attentat à la pudeur, consommé ou tent
« avec violence contre les individus de l'un ou de l'autr
« sexe sera puni de la réclusion. — Si le crime a ét
« commis sur la personne d'un enfant au-dessous de l'âg
« de quinze ans accomplis, le coupable sera puni des tra-
« vaux forcés à temps.

« Art. 333. Si les coupables sont les ascendants de l
« personne sur laquelle a été commis l'attentat, s'ils son
« de la classe de ceux qui ont autorité sur elle, s'ils son
« ses instituteurs ou ses serviteurs à gages ou serviteurs à
« gages des personnes ci-dessus désignées, s'ils sont fonc-
« tionnaires ou ministres d'un culte, ou si le coupable,
« quel qu'il soit, a été aidé dans son crime par une ou
« plusieurs personnes, la peine sera celle des travaux for-
« cés à temps dans le cas prévu par l'art. 331, et des tra-
« vaux forcés à perpétuité dans les cas prévus par l'article
« précédent. »

III. — De raptu.

81. Non agitur hîc de raptu quatenus est impedimentum matrimonii dirimens, de hoc raptus genere disserimus in nostro *Manuali* n^is 4313-4317, sed quatenus est una species luxuriæ. Sic autem intellectus, raptus a pluribus definitur : *Violenta personæ alicujus abductio, libidinis ex-*

plendæ causa. Sed quia circumstantia abductionis quoad malitiam non videtur notabiliter differre a circumstantia vis, rectius ab aliis definiri raptum existimamus : *Vis illata cuicumque personæ, aut iis quorum potestati rapta subest, explendæ libidinis causa*. Ita card. Gousset [1] qui sic hanc definitionem explicat :

« Dicitur 1° *Vis illata*, seu violentia physice et proprie « dicta, vel etiam metus qui censeatur gravis respective « ad personam quæ rapitur (aut etiam preces importunæ « juxta S. Liguor, contra Billuart [2]). Si quæ persona « consentiat rapere volenti, et sponte discedat, etiam in- « sciis parentibus, non est proprie raptus, sed fuga, non « addens malitiam specie distinctam fornicationi. S. Liguor, « lib. III, n° 444.

« Dicitur 2° *cuicumque personæ*; nam quæcumque per- « sona sive masculus, sive femina, sive virgo, sive corrupta, « sive soluta, sive conjugata est materia raptus, qui est eo « gravior quo persona rapta graviores induit qualitates ; « ita ut si sit conjugata, peccatum luxuriæ sit et adulte- « rium ; si Deo dicata, raptus et sacrilegium ; et sic de cæ- « teris.

« Dicitur 3° *Aut iis quorum potestati rapta subest* : nempe « parentibus, tutoribus aut custodibus ab iis constitutis « sub quorum cura exstitit persona quæ rapitur, quia tunc « habetur violentia (aut viro, non autem si sint fratres et « mulier sit sui juris. Ita S. Liguor. ib.). Qualitercumque « autem adsit violentia, salvatur ratio raptus, prout est « luxuriæ species; sive ergo rapta raptari consentiat re- « luctantibus parentibus, sive consentiant parentes, reluc- « tante rapta, raptus est : abductio autem puellæ sponte « consentientis, reluctantibus etiam parentibus, non est « raptus qui sufficiat ad impedimentum matrimonii diri- « mens.

« Dicitur 4° *Explendæ libidinis causa* : quia si raptus « fiat ex alia causa, nempe ut persona rapta venumdetur,

1. *Theolog. morale*, t. I, n° 655. Vide etiam Billuart, *De temper.*, art. 4, etc.
2. S. Liguor., lib. 3, n° 444 ; Billuart, *De temper. ibid.*, art. 4. v° *Explicatur definitio*.

« aut adhibeatur ut servus et ancilla, raptus ille non est « species luxuriæ. Quamvis autem raptus de quo loquimur « non habeat suum complementum nisi per expletionem « libidinis, verus tamen raptus erit ex sola intentione, co- « pula non secuta. »

82. Ex dictis colligitur 1° Virum qui uxorem suam, de ingressu religionis intra bimestre deliberantem, vi illata, cognoscit, probabilius esse raptorem. Ita Sylvius et alii apud Billuart [1].

Colligitur 2° Eum qui copulatur feminæ dormienti absque prævio ejus consensu, esse aliquo modo raptorem, in quantum scilicet injustitiam committit quæ in confessione est explicanda. Idem est dicendum de eo qui sine vi copulam extorqueret a puella ante usum rationis, seu ab ea quæ hujus peccati foret ignara [2].

83. Quoad obligationem restituendi raptus causa, vide dicta supra de stupro (66, etc.). Qui autem ad raptum efficaciter cooperati sunt, totam injustitiam erga puellam ejusque parentes, raptoris defectu, reparare debent.

Excommunicationi a Concilio Tridentino [3] latæ contra raptores et omnes illis consilium, auxilium et favorem præbentes, locus esse non videtur, nisi quando agitur de raptu matrimonii causa [4].

84. Quoad pœnas a jure civili latas apud nos, vide dicta supra (58, 59, 80), et insuper art. 354 : « Quiconque aura « par fraude ou par violence enlevé ou fait enlever des « mineurs, ou les aura entraînés, détournés ou déplacés « des lieux où ils étaient mis par ceux à l'autorité ou à la « direction desquels ils étaient soumis ou confiés, subira « la peine de la réclusion.

« 355. Si la personne ainsi enlevée ou détournée est une « fille au-dessous de seize ans accomplis, la peine sera « celle des travaux forcés à temps.

« 356. Quand la fille au-dessous de seize ans aurait con-

1. *Ibid.*, art. 4.
2. Billuart, *ibid.*
3. Sess. 24, c. 6.
4. Billuart, Dissert. 6, art. 4, § 2, dicitur 4°.

« senti à son enlèvement, ou suivi volontairement le ravis-
« seur, si celui-ci était majeur de vingt-un ans ou au-
« dessus, il sera condamné aux travaux forcés à temps. Si
« le ravisseur n'avait pas encore vingt-un ans, il sera
« puni d'un emprisonnement de deux à cinq ans.

« 357. Dans le cas où le ravisseur aurait épousé la fille
« qu'il a enlevée, il ne pourra être poursuivi que sur la
« plainte des personnes qui, d'après le Code civil, ont le
« droit de demander la nullité du mariage, ni condamné
« qu'après que la nullité du mariage aura été prononcée. »

85. Quid agere debeat mulier vi oppressa ut a peccato sit immunis?

Resp. 1° Cavere debet ne voluptati interius assentiat, alioquin mortaliter peccaret quantacumque vis ipsi inferatur.

2° Exterius resistere debet se defendendo pugnis, calcibus, unguibus, dentibus, corporis agitatione, etc. An teneatur etiam clamare? —Affirmandum, si proximum adsit periculum consentiendi, et etiam cum manifesto vitæ dispendio, si vero in tali periculo non constituatur, duæ sunt sententiæ : *Prima* affirmantium, qui probant ex Deuter. c. XXII, v. 23, ubi damnatur ad mortem puella, *quia non clamavit cum esset in civitate. Secunda*, quam valde probabilem vocat S. Liguor.[1] est negantium mulierem teneri ad clamandum cum periculo notabilis damni, puta infamiæ, vel nimiæ verecundiæ, modo tamen aliunde resistat quantum potest. Nec obstat, inquiunt, caput Deuteronomii, quia in hoc supponitur puellam non clamantem, cum esset in civitate, revera præstasse consensum. Præterea hoc erat præceptum judiciale quod per legem gratiæ fuit revocatum. — Billuart tamen cum aliis pluribus putat quod difficile mulier non clamans non constituatur in proximo consentiendi periculo.

An autem, in casu supposito, liceat mulieri invasorem pudicitiæ occidere? — Plures affirmant, quando aliud non suppetit remedium. Ita S. Antonin., Lugo, Lessius, etc. ap. S. Liguor.[2], qui asserit hanc sententiam esse com-

1. Lib. 3, n° 430.
1. *Ibid*, n° 386.

munem : ratio, quia si licitum sit occidere ad tuendum honorem et facultates magni momenti, prout communiter tenetur [1], multo magis id licet ad tuendam pudicitiam. Secus tamen alii sentiunt, ut Sættler, DD. Bouvier [2], quia vita est bonum magis præstans quam pudicitia.

Monet S. Liguor. [3] quod, non solum dum actu violenter opprimitur, sed etiam immediate post, liceat puellæ invasorem percutere, alapis, pugnis, fuste, et etiam ictibus non periculosis : quia si tali modo suam displicentiam et constantiam non ostenderet, non facile invasor discedet. Hoc tamen non est faciendum ad vindictam.

IV. — De adulterio.

86. *Adulterium*, seu, prout nomen sonat, accessio ad alterius torum, definitur : *Concubitus personarum quarum alterutra vel utraque matrimonio est conjuncta*; et triplici modo committi potest : 1° dum solutus accedit ad conjugatam; 2° dum conjugatus accedit ad solutam; 3° dum accedit ad non sibi conjugatam.

87. In præfato triplici casu adulterium est peccatum speciale luxuriæ et quidem gravissimum.

Constat ex Scriptura. Dicitur enim in *Deuteron.*, c. 22, v. 22 : *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque moriatur, id est adulter et adultera ; et auferes malum de Israel.* In prima vero Epistola ad *Corinthios*, c. 6, v. 9, sic habetur : *Nolite errare. Neque fornicarii, neque adulteri regnum Dei possidebunt.*

Ratione etiam constat : adulterium enim violat in re gravi jus alterius, conjugis nempe adulteri, prolis bono officit, familiæ nocet, sæpe scandala parit et querelas, innumeraque alia gignit mala, prout quotidiana docet experientia. Ergo, etc.

88. Est peccatum ab aliis luxuriæ peccatis specie distinctum, cum ex dictis specialem habeat malitiam; et hoc,

1. *Ibid.*, n° 383.
2. T. I. *De quinto Decalogi præcepto*; DD. Bouvier. *Dissert. in sextum.*
3. *Ibid.*, n° 386.

etiamsi conjux consentiat, quia jus habet quidem ipse sua conjuge utendi in ordine ad prolem procreandam, non vero potest eam alteri cedere quin contra naturam matrimonii delinquat. Unde damnata est ab Innoc. XI propositio sequens : *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit dicere in confessione se esse fornicatum.* In eo tamen casu conjux consentiens restitutioni sibi debitæ renuntiasse censetur.

89. Adulterium commissum cum conjugata est gravius peccatum quam si conjugatus peccaret cum libera, quia copula, in primo casu,vel nocet generationi, *quod non raro evenit,* inquit Sættler [1], et tunc graviter peccatur contra maritum, qui inique orbatur liberis; vel falsos heredes intromittit in familiam, aut saltem parit sæpe prolis incertitudinem. A fortiori gravius est adulterium quando a conjugato cum uxorata committitur, cum sit tunc duplex adulterium. Porro hæc omnia sunt sigillatim in confessione specificanda.

90. Committitur veri nominis adulterium, licet matrimonium sit duntaxat ratum, id est, nondum consummatum. Item adulterium probabilius patrat qui sodomiter uxorem propriam cognoscit, quia injuria fit tunc statui conjugali. Ita communiter contra paucos [2]. — An vero adulterium sit copula habita cum desponsata per verba de futuro, probabilius negatur, et probabile pariter est quod hæc circumstantia non sit in confessione necessario declaranda [3].

Adulterium cum infideli conjugata, cæteris paribus, minus est peccatum quam cum Christiana, quia sacramento non fit injuria; per accidens tamen potest esse majus : si, v. g., propterea ab amplectenda fide infideles avertantur [4].

91. Quærit. 1° Quibusnam pœnis plectatur adulterium?

Resp. 1° Nullis pœnis, ipso facto, per leges Ecclesiæ,

1. *In sextum*, etc., p. 22.
2. S. Liguor., lib. 3, n° 446.
3. *Ibid.*, n° 447.
4. Sættler, *Ibid.*, p. 23.

generales saltem, plectitur adulterium. Casu tamen quo a clericis majoribus ordinibus initiatis perpetraretur, sic habet cap. 13, dist. 81, erutum, ut videtur, à Concilio Neocæsariensi, c. 1 : *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, post diaconii gradum acceptum, fuerit fornicatus, aut* MŒCHATUS, *deponatur, et ab Ecclesia projectus, inter laicos agat pœnitentiam.*

92. 2° Quoad pœnas a jure civili contra adulteros sancitas, sic habet noster Codex pœnalis :

« Art. 336. L'adultère de la femme ne pourra être dé-
« noncé que par le mari ; cette faculté même cessera s'il
« est dans le cas prévu par l'art. 339.

« 337. La femme convaincue d'adultère subira la peine
« d'emprisonnement pendant trois mois au moins, et deux
« ans au plus. Le mari restera le maître d'arrêter l'effet de
« cette condamnation en consentant à reprendre sa femme.

« 338. Le complice de la femme adultère sera puni de
« l'emprisonnement pendant le même espace de temps, et,
« en outre, d'une amende de cent francs à deux mille
« francs. Les seules preuves qui pourront être admises
« contre le prévenu de complicité seront, outre le fla-
« grant délit, celles résultant de lettres ou autres pièces
« écrites par le prévenu.

« 339. Le mari qui aura entretenu une concubine dans
« la maison conjugale, et qui aura été convaincu, sur la
« plainte de sa femme sera puni d'une amende de cent
« francs à deux mille francs. »

93. Quærit. 2° An ex adulterio possit oriri obligatio restituendi ?

Resp. 1° Certe oriri potest obligatio restituendi ex adulterio, præsertim si cum uxorata perpetretur ; per hujusmodi enim adulterium multiplex solet inferri injuria, nempe non solum violationis fidei datæ conjugi adulteræ, cujus adulter est particeps, sed etiam damni temporalis, casu quo proles nascitur : quippe tunc illegitima cum legitimis alitur mariti expensis, ab ipso dotatur, ei succedit, etc. — Quæritur ergo quatenus iis omnibus sit satisfaciendum?

94. Resp. 2° Quoad injuriam conjugi illatam per violationem fidei ipsi datæ, nihil ei propter hoc debetur casu

quo adulterium manet occultum; si vero contigerit ad mariti notitiam illud pervenire, ipsi satisfaciendum est non media pecunia, ordinarie saltem : bona enim fortunæ nullam cum honore et fama proportionem habent, sed satisfactione honoraria, obsequiis, petitione veniæ aut aliis hujusmodi, secundum circumstantias et in quantum est possibile.

95. Quoad damnum vero temporale per adulterium illatum, vel constat prolem fuisse ortam ex adulterio, vel de hoc dubitatur.

Si prius, certum est adulterum teneri primum ad resarciendum omne temporale damnum, quando suasit aut procuravit ut proles adultera inter filios legitimos computaretur; item si vi, metu aut alio modo injusto ad adulterium impulit, aut si promissione ad reparandum omne damnum se obstrinxit. Si vero tantum concurrit ad gignendam hujusmodi prolem, controvertitur an in hoc casu adulter teneatur ad præfatam compensationem. Triplex est de hoc sententia; sed longe probabiliorem sententiam quæ affirmat habet S. Liguor. [1], quia adulterium est causa proxima et moralis omnium damnorum, eo quod præsertim sit moraliter impossibile mulieri separare a filiis legitimis prolem adulterinam. Et quoad obligationem ipsam alendi, in dubium revocari nequit quin ipsius pater ad hoc teneatur, æque ac mater [2].

Juxta ergo sententiam longe probabiliorem adulter et adultera æque tenentur ad compensanda omnia damna ex adulterio secuta. Sed quid si alteruter induxit ad peccandum precibus, suasionibus, aut aliis viis per se non injustis? — Sylvius putat primo loco teneri tunc ad restituendum eum qui sic impulit, quia est causa principalis damni, et hoc videtur rationi valde congruens ; alii tamen dicunt utrumque teneri æque immediate, quia consilium est in utrumque commodum, et uterque est æque damni executor : ita Lessius, Salmantic., etc.; alii demum dicunt utrumque teneri quidem primo loco, sed ad aliquid am-

1. Lib. 3, nº 659.
2. Carrière, *De justit.*, nº 1383.

plius consulentem obligant, quia duplici titulo nocuit, consulentis nempe et exsequentis. Ita Collet, DD. Bouvier, etc., apud Carrière qui huic sententiæ adhærere videtur [1]; sed in omni sententia uterque tenetur in solidum.

96. Si posterius, scilicet si dubium existat de orta prole adulterina, vel 1° dubitatur an proles sit adulteri vel mariti, et tunc, juxta sententiam communem, adulter excusatur ab omni restitutione, quia proles legitima est reputanda nisi oppositum constet, et aliunde nemo est ad restituendum damnandus nisi de damno constet. Ita multi ap. S. Liguor. [2]. Secus tamen censent quidam allegantes non esse æquum ut maritus, qui est innocens, totum ferat onus, nullum vero qui certe rei sunt et forte auctores damni. Vide Carrière [3] qui huic sententiæ adhæret, et pariter Card. Gousset [4]. Nobis tamen magis peremptoria videntur momenta quibus nititur prior sententia, quæ aliunde est communis. Si autem dubitaretur an adulterium fuerit consummatum, ipsemet Card. Gousset opinatur ad nihil tunc obligari adulterum [5].

97. Vel 2° dubium versatur inter duos adulteros : et in hoc casu plures iterum opinantur neutrum ipsorum ordinarie teneri ad reparationem damni, imo nec ad alendam prolem : ratio est quia ad obligationem restitutionis contrahendam non sufficit quod actio sit injusta, sed insuper requiritur damnum fuisse ex illa actione certe causatum. Nec dici universe valet uniuscujusque copulam fuisse causam incertitudinis prolis : quia hoc dici potest tantum de secundo adulterio, casu quo illud perpetrans sciebat jam aliud adulterium fuisse patratum cum eodem adultero, et sic impedivit ne alimenta vel aliæ restitutiones possint exigi, aut etiam de casu in quo plures, communi consilio, adulterium commiserunt; sed probandi vim non habet præfata ratio erga primum adulterum casu quo peccando non advertit de adulteriis futuris; unde in facta hypothesi

1. *De justitia*, n° 1384.
2. Lib. 3, n° 657.
3. Carrière, *ibid.*, n° 1385.
4. *Morale*, n° 1018.
5. *Ibid.*

secundus tantum, et quidem rarissime, ad restitutionem erit obstrictus, cum rarissime contingat quod advertat ad periculum incertitudinis prolis [1]. Parum quidem æquum videtur quod ii, qui certe rei sunt injustitiæ, ad nihil obligentur, imo ab alenda etiam prole adulterina eximantur, sed hoc per accidens evenit. Nobis tamen videtur quod bene aget tunc confessarius imponendo adulteris aliquid per modum pœnitentiæ ad reparationem damni marito illati.

Circa eamdem quæstionem aliter sentiunt Carrière [2], P. Gury [3] et plures alii cum ipsis, dicentes utrumque adulterum teneri ad restitutionem pro rata parte, quia certe damnum est ipsis imputandum, eodem modo ac si quis occisus esset, et dubitaretur an a Petro vel a Paulo, sed certe ab alterutro fuisset occisus, isti duo tenerentur ad compensationem damnorum ex tali homicidio secutorum: sed hæc ratio non convincit, cum de isto posteriori casu tam potest dubitari quam de priori.

98. Quærit. 3° Quænam sint propter adulterium restituenda?

Resp. 1° Refundendos esse sumptus quos fecit putativus pater, nisi proles adulterina illum indemnem fecisset [4].

2° Restituendum esse etiam pro hereditate quam obtinuit proles adulterina ex patre putativo, aut ex ejusdem ascendentibus : bona enim sic transmissa ex errore prorsus ac proinde nulliter sunt collata, et adulter et adultera ex se et non solum per accidens sunt causa cur hujusmodi legata aut hæreditates ad adulterinos deveniant.

Quoad vero hereditates spurio datas a cæteris consanguineis aut ab extraneis, non constat eas esse ab adulteris compensandas, quia isti non videntur ex se causa hujusmodi donationum, sed tantum per accidens, de quo vide plura apud S. Liguor. [5] quæ manifestè analogiam habent

1. S. Liguor., lib. 3, n° 658.
2. *De justitia*, n° 1386.
3. *Compendium*, t. I, n° 733.
4. Carrière, *De justitia*, n° 1387.
5 Lib. 3, nis 632, 633.

cum præsenti casu. Vide etiam D. Rousselot [1] et D. Carrière, qui tamen contra sentit [2].

Diximus *ab adulteris* quia illæ hæreditates certè essent à prole adulterina restituendæ si notitiam suæ illegitimatis haberent, cum nullæ sint hujusmodi donationes propter errorem personæ.

99. Quærit. 4° Quomodo facienda sit restitutio propter adulterium ?

Resp. Vel agitur de hac restitutione in genere, vel de illa facienda per matrem adulteram ?

1° Circa hanc restitutionem in genere, distinguendum nter casum quo damnum jam est realiter illatum, et casum quo nondum est invectum : in primo casu omne damnum statim est resarciendum, sed ita caute ut fiat sine infamia adulterorum. In secundo casu, nempe si adulterinus nondum hæreditatem est assecutus, obligatio hanc compensandi non existet nisi eo momento quo illa fuerit occupata, et sufficit adultero firmum habere propositum hoc damnum reparandi quando continget. Excipe tamen casum quo esset jamjam moriturus : tunc enim statim restituere deberet, non quidem omne damnum quod poterit evenire (quippe forte proles adulterina morietur ante patrem putativum), sed juxta probabilitatem majorem aut minorem quod sit supervictura ; proinde habita ratione ætatis, complexionis, sanitatis, etc. Modo illa existimatio æquiter fuerit facta judicio viri prudentis, conquiescere possunt adulteri [3].

100. 2° Quoad restitutionem ab adultera faciendam : si ipsa habeat bona propria, ex his restituere debet plus legitimis relinquendo quam spurio ; si vero non habeat propria, variis uti debet industriis ad damna compensanda ; diligentius, v. gr. administrando rem familiarem, de cultu corporis detrahendo, patrem inducendo ut filiis legitimis majorem hæreditatis partem conferat quam spurio ; hortando prolem adulterinam ut, relicta hæreditate ex toto vel

1. *In sextum*, p. 87.
2. *Ibid.*, n° 1389.
3. Card. Gousset, *Theol. Moral.*, n° 1020.

ex parte, statum religiosum, si sit idoneus, amplectatur, etc. Si autem nullis ex hujusmodi viis sufficienter damnum reparare valeat, teneturne adultera crimen suum patefacere sive marito sive illegitimo ut sic damnum caveatur vel reparetur? — Quæstio est controversa : plures quidem negant absolute adulteram teneri ad hanc revelationem, et sic opinatur Cardinalis Gousset cum Collatore Andegavensi [1]; sed multi alii, quorum sententia declaratur *vera* à S. Liguor. [2] quamque sequendam existimat, distinguunt inter casum quo damnum famæ mulieri imminens multum præponderat damno mariti et filiorum legitimorum, et tunc adultera non tenetur illud sibi inferre; et casum quo infamia non sit tanta, et tunc ad id tenetur si speret revelationem esse profuturam. Proinde adultera debet se prodire : 1° si sit perditæ famæ vel de vili conditione; 2° si damnum publicum timeatur, si, v. gr, spurius sit perditis moribus imbutus vel hæreticus, et succedere debeat regno vel principatui; et tunc etiam cum periculo vitæ cum bonum privatum bono publico sit postponendum; 3° si, se manifestando tantum spurio, speraret hunc sibi fore crediturum; in hoc enim casu saltem non constat adesse gravem diffamationem, dum econtra constat adulteram graviter esse obstrictam ad impediendum vel reparandum damnum; ad quod etiam tenetur si habeat duntaxat spem verisimilem sic damna præcavendi; non vero si nulla esset spes hujusmodi, aut valde exigua. Unde, addit S. Liguor., in praxi raro tenetur mater se manifestare marito aut filio, quia raro contingit quod ex tali manifestatione non sit subitura ingentia damna. Insuper raro evenit quod filius teneatur credere matri, ut dicetur in sequenti dubio.

101. Quæritur ergo an, in præfato casu, filius teneatur matri credere?

Quidam affirmant si mulier sit fide digna, aut sit in articulo mortis et dicta sua juramento confirmet; sed communissime et probabilius ad id non tenetur : quia filius est in

1. *Theolog. mor.*, n° 1022.
2. Lib. 3, n° 653.

possessione legitimitatis, cui renuntiare non est obstrictus nisi convincatur esse illegitimus; porro nemo tenetur credere uni testi, etsi probatissimo, ut constat cap. *Relatum, de Testam.* et cap. *Licet de testibus.* Excipe tamen casum quo mater clare ostenderit impotentiam vel absentiam mariti tempore procreationis [1].

102. Sed quid de casu sequenti, qui vocatur *Avenionensis*, eo quod Avenione contigerit? — Quædam mulier in articulo mortis constituta, filiis suis congregatis, eos sic allocuta est : *Unus ex vobis est illegitimus, vultis eum vobis nominari, vel innominatum hæreditatem cum aliis partiri?*

Resp. consulendam haud esse hanc agendi rationem : etsi enim filii assenserint maternæ partitioni, non ideo proles adulterina acquirit jus hæreditatem sic delatam legitime occupandi : libera enim non est condonatio tali modo facta a filiis legitimis, qui non consentiunt nisi ob timorem ne invenirentur forte ipsi illegitimi, et sic omnino ab hereditate excluderentur. Insuper talis declaratio suspicione illegitimitatis filios etiam legitimos respergit; proinde ex hac etiam parte est injusta.

V. — De Incestu.

103. Incestus definitur communiter : *Congressus illicitus*, aut juxta quosdam : *Peccatum luxuriæ cum persona cognata vel affine intra gradus prohibitos.* Eo gravius est peccatum quo gradus est propinquior, et multo gravius inter consanguineos quam inter affines ejusdem gradus; itemque gravius inter affines quam cum cognato spirituali vel legali. — Videre est in tractatibus de matrimonio intra quosnam gradus sive consanguinitatis, sive affinitatis, sive cognationis spiritualis vel legalis matrimonium sit prohibitum.

104. Supponunt Billuart [2] et Card. Gousset [3] affinitatem

1. S. Liguor., lib. 3, nº 654.
2. Loco supra citato, art. 6, *De incestu.*
3. *Théol. morale*, nº 656.

oriri etiam ex matrimonio rato non consummato ; imo RR. DD. Bouvier [1] et D. Rousselot [2] affirmant incestum adesse quando copula habetur inter eos qui ligantur impedimento publicæ honestatis ; sed an legitimo fundamento hæc asserantur, dubitandum nobis videtur : communiter enim incestus definitur, prout supra descripsimus. Porro affinitas certe non oritur ex matrimonio duntaxat rato, et ex eo quod tunc producatur impedimentum dirimens dictum *publicæ honestatis*, minime sequitur quod copula, inter eos qui tali impedimento ligantur, debeat esse incestus. In hoc sensu refertur fuisse declaratum a S. Congr. Cardinalium, et idem supponit S. Pius V in bulla *Ad Romanum spectat*. 62. Attamen fatendum est cum Sanchez ex matrimonio rato oriri affinitatem improprie et large dictam. Ita Pauwels ap. *Curs. Complet.* [3].

105. Non solum concubitus cum cognatis et affinibus est incestus, sed, juxta probabiliorem sententiam, hoc etiam sunt omnes tactus impudici et etiam oscula : unde a quibusdam incestus non *congressus*, etc. dicitur, *sed peccatum luxuriæ*, etc., ut supra monuimus (103) [4]. Imo actus venerei et præsertim sodomia cum cognatis et affinibus sexus ejusdem, malitiæ incestus participant [5].

106. Incestus est peccatum speciale et gravissimam malitiam habens : non tantum enim est castitati oppositum, sed insuper reverentiæ consanguineis et affinibus debitæ adversatur : unde in Levit., c. 20, v. 14, 17, 19, 20, 21, pœna mortis plectitur ; et B. Paulus, in 1 ad Corinth., c. 5, v. 1, de eo hæc habet : *Auditur inter vos fornicatio et talis fornicatio qualis non inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.*

107. Disputatur autem an incestus, licet non ejusdem gravitatis, sit tamen ejusdem speciei in omnibus consan-

1. *Dissert. in sextum*, art. 5.
2. *In sextum*, etc., p. 25.
3. T. 18, col. 1099.
4. Collet, *De Decalogo*, c. 3, art. 4 ; et S. Liguor., lib. 3, nis 453 et 469.
5. S. Liguor., *ibid.* ; Billuart, Dissert. 6, art. 6 ; RR. DD. Bouvier, *In sextum*, p. 36.

guinitatis gradibus. Sententia affirmans probabilior habetur a plerisque theologis, eo quod malitia sit ejusdem naturæ in omni gradu, etsi non ejusdem gravitatis. Excipitur tamen primus gradus lineæ rectæ, imo et probabiliter primus pariter gradus lineæ transversalis, eo quod in his gradibus, incestus sit ex jure naturæ, dum in cæteris est ex solo jure positivo [1]; unde obligatio gradum specificandi in confessione certa non est nisi pro primo gradu lineæ rectæ. Similiter incestus cum affinibus extra primum gradum est ejusdem speciei. Ita communiter ap. S. Liguor. [2].

Nec etiam concordant DD. an incestus cum consanguineis specie differat ab incestu cum affinibus; affirmant quidem Lessius, Salmantic., etc. Negantem vero sententiam probabiliorem habet S. Liguor. cum S. Thoma, Lugo, Sanchez et aliis multis : quia ex eodem motivo prohibetur copulatam consanguineis quam affinibus [3].

108. « An incestus inter cognatos spirituales sit di-« versæ speciei quam inter consanguineos et affines? — « Absolute affirmandum cum Salmant. et S. Thoma, qui, « 2. 2, q 114, art. 10, ad 2, docet per copulam inter cogna-« tos spirituales *committi sacrilegium ad modum incestus.* « An autem tunc sit explicandus gradus cognationis? Affir-« mant Salmant., *ib.*, n° 49; sed probabilius negat Croix, « n° 1078 [4].

« Pariter incestus inter cognatos legales, nempe ra-« tione adoptionis, est diversæ speciei ab aliis enuntiatis, « et explicari debet. Vide Salm., *ib.*, n° 41 [5]. »

109. An autem adsit incestus casu quo propinqui, obtenta dispensatione ad matrimonium contrahendum, fornicantur antequam nuptiæ sint celebratæ? — Controvertitur : æque probabilem habet S. Liguor. sententiam affirmantem ac negantem : ratio negantium est quia incestus

1. S. Liguor., lib. 6, n° 470.
2. *Ibid.*, lib. 6, n° 469, *in fine*.
3. S. Liguor., *ibid.*
4. Juxta Billuart (Diss. 6, art. 6, *versus finem*) non est specificandum an incestus sit inter cognatos ex baptismo aut ex confirmatione.
5. S. Liguor., lib. 3, n° 450.

abest ubi matrimonium non est amplius vetitum inter propinquos [1].

110. Ex can. *Omnes*, causa 30, q. 2, et can. *Non debet*, ibid. colligi potest antiquitus peccatum carnale confessarii cum sua pœnitente habitum fuisse velut speciem incestus [2]. Et hoc etiam hodie in controversia est ; sed juxta S. Liguor., qui multos alios citat, sententia negans est probabilior; nam, in cap. ultimo *De cognatione spirituali*, dicitur : *Ex datione aliorum sacramentorum* (præter Baptismum et Confirmationem) *cognatio spiritualis nequaquam oritur* ; porro non est incestus ubi non est cognatio ; Ergo, etc. Est tamen tunc sacrilegium in confessione declarandum : sed non ex eo precise quod reus sit confessarius et ob injuriam sacramento pœnitentiæ irrogatam; sed ob conditionem sacerdotis rei qui Deo per votum castitatis est consecratus.

Si autem confessarius ad crimen in confessione impelleret, sacramento tunc fieret injuria, in quantum scilicet confessarius contra suum officium pœnitentem a peccato avertendi ageret, proinde hoc peccatum specialem malitiam continet in confessione declarandam.

Si vero confessarius esset parochus, peccaret tunc contra justitiam : cum ex justitia teneatur suas oves pascere non solum verbo, sed etiam exemplo [3]. Idem proportionate est dicendum de tutore erga pupillam et de omnibus quibus cura minorum est commissum [4].

111. Sedulo hîc est notandum quod , quando conjux rem habet cum suæ uxoris consanguinea intra secundum gradum lineæ, sive rectæ sive transversalis, et vice versa, conjux reus amittat jus licite petendi conjugale debitum, licet exhinc matrimonium, cum sit indissolubile , non dissolvatur. Id constat ex cap. *Si quis, De eo qui cognovit*, et declaratione Gregorii XIII, ap. S. Liguorium [5].

1. *Ibid.*, n° 452. De hoc vide etiam *Manuale tot. jur. canonici*, n^{is} 4416, 4417.
2. Billuart. Diss. 6, art. 7. Dico 2°.
3. S. Liguor., lib. 3, n° 451. Sættler, *In sextum*, p. 24 (Rousselot).
4. RR. DD. Bouvier, *in sextum*, p. 36.
5. Libr. 6, n° 1070. V. etiam nostrum *Manuale*, n° 4286.

112. Disputatur an mulier, gravi metu a consanguineo sui viri cognita, privetur jure debitum petendi. Probabilior ac communior sententia negat, quia metus gravis, sicut excusat a lege ecclesiastica, ita a pœna ab ipsa imposita [1].

113. An autem ignorantia excuset a præfato impedimento debitum petendi? — Resp. 1° Si sit ignorantia juris seu legis dictam pœnam imponentis, probabilius hæc excusat saltem in foro interno. 2° Si ignorantia sit facti, nempe si quis, sciens dictam legem, nesciat personam, ad quam accedit, esse conjugis consanguineam, tunc, etsi ignorantia sit crassa, commune est non incurri præfatum impedimentum; secus, si ignorantia esset affectata. Ita communius ap. S. Liguor. [2]. 3° Si ignorantia sit solius impedimenti, controvertitur an hæc pariter excuset ab impedimento. Sat probabilem sententiam affirmantem habet S. Liguor. [3].

114. Communissime docent DD. Episcopos posse dispensare in hoc impedimento debitum petendi, et habere facultatem delegandi eamdem potestatem; non solum pro singulis vicibus, sed generaliter; simplices vero confessarii dispensare in eo nequeunt sine speciali concessione [4].

VI. — De Sacrilegio.

115. Sacrilegium, quatenus est luxuriæ peccatum, *violatio est rei sacræ per actum venereum.* Præter ergo malitiam contra castitatem, aliam et quidem gravem habet contra religionem seu honorem Deo debitum.

Committi potest vel *circa personam*, vel *circa locum*, aut tandem *circa res.*

116. 1° *Circa personam* committitur quando peccatum luxuriæ fit, etiam interius, per personam Deo sacratam, vel cum persona Deo consecrata aut perpetratur, aut per-

1. S. Liguor., *ibid.*, n° 1071.
2. *Ibid.*, n° 1073.
3. *Ibid.*, n° 1074.
4. S. Liguor., lib. 6, n° 1076; et nostrum *Manuale*, n° 4289, etc., et 4405.

petrari concupiscitur. Deo autem sacrata habenda est certe persona quæ votum solemne religionis emisit, aut sacros ordines suscepit. Controvertitur vero an idem sit dicendum de persona quæ vovit tantum simplex votum castitatis : S. Liguor. probabilius habet quod violatio talis voti sit sacrilegium [1]. Unde circumstantia solemnitatis voti est solummodo aggravans, et probabile saltem est quod non sit in confessione declaranda [2].

An autem sacerdos, qui sit etiam religiosus, duo, peccando contra castitatem, committat sacrilegia, unum violando votum sacris ordinibus annexum, et alterum frangendo votum religiosæ professionis, iterum hoc controvertitur : Lessius affirmat cum aliis quibusdam ; sed verius, inquit S. Liguor., negant Sanchez, Salmantic. et alii plures, quia præceptum servandi votum religiosum eodem motivo virtutis religionis nititur ac præceptum observandi castitatem clericis ad sacros ordines promotis impositum [3].

Qui autem votum castitatis sæpe renovavit, non fit reus, peccando, multiplicis sacrilegii, quia ex illa multiplici renovatione non multiplicatur obligatio. Unde hæc circumstantia non est necessario declaranda in confessione.

117. Omnino est affirmandum duplex adesse sacrilegium si persona sacra rem habeat cum alia quæ sit etiam sacra : dupliciter enim religionem offendit, proprio scilicet peccato et peccato alterius cui cooperatur [4].

An autem sacrilegium committat persona Deo sacrata si alterum suo consilio inducat ad peccatum venereum, disputatur. Affirmans est De Lugo, et cum eo Collet [5], qui inde concludit sacrilegii reas esse moniales quæ, venustatem pectoris laudando, alumnas suas ad nuditatem scandalosam accendunt ; sed satis probabiliter negat

1. Lib. 3, nº 47.
2. *Ibid.*, nº 454.
3. *Ibid*, nº 455.
4. S. Liguor., lib. 3, nº 456.
5. *De Decalogo*, c. 3, art. 5, in fine.

Sanchez cum aliis [1]. Attamen prima sententia certo pro-
babilitor videtur S. Liguorio [2], si quis ex positivo affectu
ad libidinem alterum ad peccandum induceret; secus si
ex alio pravo fine. Sed in praxi difficile videtur quod non
inducat ex positivo affectu ad libidinem; dubitari vero
nequit quin peccet contra castitatem, itemque contra cha-
ritatem. Insuper, juxta idem S. Liguor : « Omnino tenen-
« dum cum Salmantic... contra paucos, sacrilegium uti-
« que committere religiosum qui morose delectaretur de
« peccato carnalis alterius, vel qui alterum suis manibus
« pollueret, etiam sine sua pollutione. »

118. 2° *Circa locum* committitur sacrilegium quando
actus venereus in loco sacro exterius exercetur vel exer-
ceri desideratur.

Per locum sacrum hic intelligitur ecclesia, etiam sim-
pliciter benedicta et sacro cultui deputata, a tecto interiori
usque ad pavimentum; item cœmeteria et capellæ ad Dei
cultum Episcopi auctoritate deputatæ, ut fieri solet in hos-
pitalibus, seminariis, collegiis, etc. Veluti vero sacra loca
non sunt habenda ecclesiæ nondum benedictæ, sacris-
tiæ, monasteria, dormitoria, cubicula religiosorum,
tectum supra ecclesiam, chorus monialium ab ecclesia
separatus, nec cum ea benedictus, caveæ subterraneæ
nisi sint ad fidelium sepulturam destinatæ, turres campa-
narum, janua extra limen ecclesiæ [3]; oratoria sine Epis-
copi auctoritate erecta, aut non benedicta, nec divino
cultui mancipata, tametsi ex S. Pontificis aut Episcopi
licentia interdum inibi celebretur [4].

119. Ex cap. unico, *De consecr. Eccles.* in 6°, et cap.
Ecclesiis 20, *De consecrat.*, dist. I, non solum sacrilega est

1. Huic adhæret RR. DD. Bouvier post Billuart, Dens, etc. (*Dissert.
in sextum*, p. 38) dicendo quod scandali, non autem sacrilegii judi-
canda sit persona religiosa quæ, sine proprio luxuriæ peccato, causa
esset quod alia persona contra castitatem peccaret: quia, inquit, hæc
persona propriam non alienam vovit castitatem.

2. Libr. 3, n° 457.

3. Hæc tamen non sunt applicanda privilegio immunitatum.

4. Ita Sylvius, ap. Collet, *De Decalogo*, art. 5; et S. Liguor., lib. 3,
n° 460.

voluntaria seminis humani effusio, quando est peccatum mortale, sed per eam (modo semen sit prolificum, non vero sit illud quod medium tenet inter semen proprie dictum et urinam) ecclesia aut cœmeterium efficiuntur polluta donec reconcilientur, etsi in pavimentum aut in terram semen non cadat.

Dubium vero ortum fuit an per copulam occultam loca sacra polluantur, negant Pontius, Tolet, Navarr., etc., post Glossam, in cit. cap. unico *de consecratione*, in 6°, v° *Polluit*, ubi dicitur : *Si pollutio fuerit occulta, ecclesia non debet reconciliari*. Ratio in probationem allata est quod talis effusio non sit sacrilegium de jure divino, sed solum de jure ecclesiastico ; porro jure ecclesiastico sola publica seminis effusio prohiberi videtur in locis sacris. Affirmant plures alii, et quidem probabilius juxta S. Liguor. [1], quia omnes textus supra citati de quacumque effusione loquuntur, proinde de occulta, quamvis non sit obligatio, quamdiu crimen manet occultum, a divinis officiis abstinendi.

120. Ortum pariter fuit dubium an per copulam maritalem locus sacer polluatur. *Prima* sententia sat probabilis negat, nisi adesset scandalum, quod ordinarie difficile est adesse. Ita Glossa ex Hygino Papa, c. 19, *De consecr.*, dist. I. *Secunda* sententia, sat etiam probabilis, affirmat, modo copula fuerit publica. *Tertia* demum sententia, quæ probabilior habetur à S. Liguor., affirmat quidem cum secunda, sed etiam in casu quo copula est occulta. In can. enim *Ecclesiis*, dist. 68, dicitur : *cujuscumque semine.. pollutæ*. Porro si per effusionem seminis *cujuscumque* ecclesia polluitur, ergo et per maritalem. Excipitur nisi copula haberetur ex morali necessitate ; et in hac morali necessitate reputantur conjuges quando sunt in periculo incontinentiæ, quod accidere facile posset, si diu in ecclesia permanere cogerentur, per decem nempe dies, ut aliqui censent, aut per viginti vel per mensem, secundum alios. Et casu quo per mensem se putarent in ecclesia

1. Lib. 3, n° 458.

esse mansuros, etiam ab initio copulari possent. Ita Sanch. et Salmantic. apud S. Liguor. [1]. Contra sentit tamen RR. DD. Bouvier [2].

121. Soli quidem tactus impudici loca sacra non polluunt, sed quæri potest an sint sacrilegi quando in iisdem fiunt ? — Circa quod duplex est sententia : Prima negans, cum Sanchez, Navarr. et aliis pluribus, modo absit periculum pollutionis, quia, ut aiunt, per hujusmodi actus loca sacra non polluuntur. Secunda probabilior affirmans cum S. Liguor. et aliis ab ipso citatis : quia, etsi per tales actus Ecclesia non polluatur, gravis tamen ipsi irrogatur irreverentia [3].

An autem verba, oscula et aspectus lascivi in ecclesia habiti, sint sacrilegia? — Tres sunt sententiæ. *Prima* generaliter affirmat. *Secunda* affirmat tantum de iis actibus qui sunt externi et graviter turpes. *Tertia* vero generaliter negat, quia etsi hujusmodi actus sint peccata mortalia, non tamen continent per se gravem irreverentiam physicam erga locum sacrum. Secunda sententia absolute probabilior videtur S. Liguorio [4].

An denique sacrilegia sint cogitationes turpes in ecclesia habitæ? — Recte, inquit S. Liguor. [5], distinguunt Salmantic... : Affirmantes, si desideria sint deliberata peccandi externe in ecclesia, et hoc etiamsi illa desideria extra ecclesiam habeantur; secus, si illa sint peccandi extra ecclesiam, licet in ecclesia habeantur.

122. 3° *Circa res* sacrilegium committitur cum quis rebus sacris abutitur ad turpiter peccandum ; si nempe in linteamina aut vasa sacra semen effundat, si cereum benedictum, aut, quod est horribile dictu, sacram Eucharistiam ad philtrum amatorium adhibeat, si reliquias in pretium peccati turpis daret. — An autem sacerdos peccans interne vel externe contra castitatem, dum gestat vel tangit

1. *Ibid.* et lib. 6, n° 920.
2. *In sæculum*, etc., p. 41.
3. S. Liguor., lib. 3, n° 459.
4. *Ibid.*, n° 461.
5. *Ibid.*, n° 462.

sanctissimum Sacramentum, committat sacrilegium speciale, controvertitur : Non improbabiliter quidem negant Bonac. Croix, Lugo, Salmantic., etc., quia hæc actio non est administratio sacramenti; sed valde probabiliter affirmant Collet cum S. Thoma, et aliis communiter, quia sancta sancte sunt tractanda. Ita S. Liguor. [1], qui addit cum Salmantic., a sacrilegio haud posse excusari qui se polluerit statim post communionem, scilicet per mediam circiter horam.

Dicit idem S. Liguor. [2] ab eo pariter committit sacrilegium qui se polluit dum est indutus ad missam ; non autem committi ab eo qui peccat gestando reliquias, aut agnos Dei. Billuart vero non magis vult esse sacrilegium si sacerdos alba indutus fornicetur aut impudice agat quam si eadem perpetret cum reliquiis aut similibus ad collum appensis, aut in alia corporis parte detentis [3].

123. An autem sacrilegium sit peccatum carnale commissum festis diebus ?— Affirmant aliqui, sed probabilius negatur ; quia finis legis non cadit sub præcepto [4].

124. Quærit. 1° An potestatem habeat confessarius suum in materia turpi complicem absolvendi ?

Resp. Duo decreta edidit Bened. XIV, unum 1 junii 1741, incipiens *Sacramentum pœnitentiæ*, alterum 8 febr. 1745, incip. *Apostolici muneris*, quibus sancivit confessarium omni carere jurisdictione ad absolvendum suum complicem in materia turpi, atque excommunicationem papalem incurrere si nihilominus illum absolvat : « Auctoritate « apostolica, inquit, et nostræ potestatis plenitudine inter- « dicimus et prohibemus ne aliquis eorum (sacerdotum), « extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mor- « tis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, « qui confessarii munus obire possit, confessionem sacra- « mentalem personæ complicis, in peccato turpi atque « inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso,

1. Lib. 6, n° 35, *in fine* ; et lib. 3, n° 463.
2. *Ibid.*
3. Diss. 6, *De temper.*, art. 8, *in fine*.
4. S. Liguor., lib. 3, n° 463.

« excipere audeat, sublata propterea illi... quacumque auc-
« toritate et jurisdictione, ad qualemcumque personam ab
« hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut abso-
« lutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino
« sit, tanquam impertita a sacerdote qui, jurisdictione ac
« facultate ad valide absolvendum necessaria, privatus
« existit; quam ei per præsentes has nostras adimere
« intendimus : et nihilominus, si quis confessarius secus
« facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis
« pœnam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis, nos-
« trisque successoribus duntaxat reservamus, ipso facto
« incurrat; declarantes etiam et decernentes quod nec
« etiam in vim cujuscumque jubilæi, aut etiam Bullæ,
« quæ appellatur CRUCIATÆ SANCTÆ, aut alterius cujus-
« libet indulti, confessionem dicti complicis... quisnam
« valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem
« elargiri ». Hæc habentur in Bulla *Sacramenti pœnitentiæ.*
« In constitutione vero *Apostolici muneris* additur : Quem-
« admodum interdictum non est, in mortis articulo, per-
« sonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem
« audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam
« absolvere, deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui
« confessarii munus obire possit, ita interdici re ipsa, et
« prohiberi prædicto modo tunc audire et absolvere, ut si
« alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste
« alius simplex... sacerdos fuerit .. non approbatus..., pos-
« sit nihilominus ipse... confessionem excipere ac absolu-
« tionem impertiri. Porro si... circumstantiæ quæ vitari non
« possint, ejusmodi fuerint, ut alius sacerdos, ad audien-
« dam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem,
« vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia
« vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde
« haberi, censerique posse ac si revera abesset, atque defi-
« ceret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio
« criminis sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque
« crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi sacer-
« dos, et serio animadvertat fore se re ipsa coram Deo,
« qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam
« nostram constitutionem inobedientiæ, latisque in ea

« pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ aut scandali « pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt : imo « intelligat teneri se graviter hujusmodi pericula, quan- « tum in se erit, antevertere vel removere, opportunis « adhibitis mediis; unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti « locus pateat illius confessionis absque ullius infamia « vel scandalo audiendæ. Quod si idem sacerdos... ad id « periculum advertendum congrua media adhibere de in- « dustria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine « complicis... sacramentalem confessionem excipere, ab « eoque crimine absolutionem largiri, nulla... necessaria « causa cogente, præsumpserit, quamvis hujusmodi abso- « lutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dis- « positiones à Christo Domino ad sacramenti pœnitentiæ « valorem-requisitæ non defuerint... nihilominus sacer- « dos ipse violatæ, ausu ejusmodi temerario, legis pœnas « nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta consti- « tutione majorem excommunicationem, eodemque plane « modo, quo ibidem decernitur, Nobis et huic Sanctæ Sedi « reservatam incurrat... »

125. Ex præfatarum constitutionum verbis manifestum est absolutionem datam complici in materia turpi esse omnino nullam, non tantum quoad turpe delictum sed quoad cætera peccata : *absolutio*, inquit Pontifex in constit. *Sacramentum pœnitentiæ, si quam impertierit* confessarius complex, *nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit.* Excipitur casus extremæ necessitatis, nimirum articuli mortis, modo deficiat quicumque alius sacerdos, etiam non approbatus, qui absolutionem impertiri possit, nisi ille nequiret vocari vel accedere sine gravi infamia aut scandalo. Tenetur tamen confessarius complex talia pericula infamiæ aut scandali avertere, in quantum potest, aliquo honesto prætextu, v. gratia, se absentando; et ita ad id tenetur ut si se non averterit, licet tunc valide absolutionem impertiret, pœnam tamen excommunicationis majoris S. Sedi reservatam non effugeret. Notandum vero est quod, nec in istis constitutionibus nec alibi, in jure communi, peccatum turpe cum sacer-

dote, etsi iste esset confessarius, non sit reservatum pro confessariis non complicibus; est tamen sic reservatum in quibusdam diœcesibus, et notanter in hac Valentinensi.

126. Confessarius ideo tantum spoliatur sua jurisdictione erga pœnitentem, quia habet iste peccatum turpe cujus ille est complex; proinde, deleto illo peccato per absolutionem ab alio impertitam, reviviscit jurisdictio confessarii complicis quoad alia peccata et alias confessiones ejusdem pœnitentis. Non facile tamen talis confessarius debet in posterum hujusmodi pœnitentium confessiones excipere, ob periculum relapsus, aut saltem frequentium et gravium tentationum, et deterrendi sedulo sunt etiam fideles ne extra casum necessitatis adeant confessarium complicem. Propter has rationes et alias quæ facile intelliguntur, in nonnullis diœcesibus de jure particulari sacerdos nunquam excipere potest confessionem ejus qui fuerat ipsius complex in materia turpi, saltem copula consummata; sed hoc pluries improbavit S. Congr. Concil. et expresse die 2 decembr. 1679 : *Tale decretum deleatur*, inquit S. Congregatio, ut videre est ap. P. Gury, t. 2, n° 587 *in nota* [1].

127. Quæri potest an incurrat excommunicationem confessarius qui audit quidem sui complicis confessionem, sed eum non absolvit. Negandum videtur, inquitP. Gury cum S. Liguor. [2], etc.; et ratio deducitur ex verbis constit. Bened. XIV, *Inter præteritos*, ubi dicitur: *Non minus sacerdoti complici qui vel extra mortis articulum confessionem excipit pœnitentis* EUMQUE ABSOLVIT, *vel qui in articulo mortis* ABSOLVIT, *cum alius sacerdos non desit, excommunicationis majoris a Nobis in citatis constitutionibus imposita fuit*. Non sufficit ergo confessio, sed, juxta Pontificem, requiritur absolutio.

1. Nec etiam S. Congr. approbat quod Episcopi generaliter sibi reservent absolutionem peccatorum a clericis commissorum contra sextum Decalogi præceptum ; v. P. Gury, *Compend.*, t. 2, n° 570, *in nota*; sed sibi possunt reservare absolutionem peccatorum a clericis commissorum cum aliis in materia turpi. Ita Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 7, chap. 14, III.

2. Lib. 6, n° 556.

128. « Nomine *peccati turpis*, inquit S. Liguor. [1], venit « omne peccatum externum grave contra sextum præ- « ceptum, licet sit solus tactus, sive colloquium [2], ut certe « dicendum sentio, cum pluribus doctis quas consului « super hoc judicio, ab aliis immerito in dubium revocato. « Et idem sentiunt Salmantic.... contra aliquos qui dice- « bant bullam intelligendam tantum de copula consum- « mata. » Et probat ex verbis Bullæ : *In peccato turpi atque inhonesto contra sextum præceptum*; quæ verba quæcumque peccata turpia sine dubio comprehendunt. Requiritur autem ut peccatum sit ex utraque parte, alioquin non posset esse quæstio de complice, et externum esse debet quatenus mutuum [3].

129. Quæri etiam potest an absolvi licite possit pœnitens a suo complice, si alteri confiteri recuset? Affirmat P. Gury cum Emin. Gousset, si talis pœnitens sit aliunde dispositus [4]; sed hoc intelligi debet de confessione facta in extremis.

130. An vi concessionis a Conc. Trident. cap. 6 *Liceat* sess. 24, datæ, liceat Episcopo per se aut alium, absolvere confessarium qui suum complicem absolvit, si casus sit occultus? Quæstio controvertitur, ut videri potest ap. S. Liguor. [5]; sed negativæ sententiæ est adhærendum, quia præfata facultas à Conc. Trid. concessa respicit tantum casus tunc reservatos, non vero qui postea reservati fuere; porro casus de quo hîc agitur, nonnisi multo post Trident. à SS. Pontificibus fuit reservatus. Ita fuit declaratum a S. Congreg. Inquisitionis, 18 jul. 1860 [6], et insuper constat recenti Const. *Apostolicæ Sedis*, Pii IX, IV Idus Oct. 1869.

1. *Ibid.*, n° 554.
2. Contra sentit P. Gury quoad colloquium inhonestum ; citatque Amort *de Pœnitentia*, qui asserit hoc esse conformius verbis Bened. XIV, *de Synod.*, lib. 7, n° 4; sed immerito, ut mihi videtur. (*Compendium*, t. 2, n° 585.)
3. P. Gury, *ibid.*
4. Gury, *ib.*, 586; Gousset, *Theol. mor.*, n° 489.
5. Lib. 6, n° 556.
6. P. Gury, *ibid.*, n° 588 ; *Revue des sciences*, avr. 1861, n° 4, p. 366.

De sollicitantibus.

131. Circa confessarios sollicitantes ad turpia, dicendum, I. Quid a SS. Pontificibus fuerit statutum; II. Quid nuperrime docuerit de his Sanctum Officium; III. Variorum dubiorum solutionem adjiciemus.

I. In jam citata constitutione *Sacramentum pœnitentiæ* sic habet Benedictus XIV circa nefarios præfatos confessarios: « Dudum quidem a felicis record. Gregor. XV..., per « suas litteras in forma Brevium... 30 aug. 1622..., sa- « pienter provisum fuit contra quoscumque sacerdotes « audiendis confessionibus deputatos ad turpia et inho- « nesta sollicitantes, et deinceps successivis temporibus... « plura... a Congr... Cardin... adversus hæreticam pra- « vitatem Inquisitorum prodierunt decreta... Nos itaque... « omnia et singula decreta prædicta... approbamus et con- « firmamus..., atque, quatenus opus sit, denuo committi- « mus et mandamus omnibus locorum Ordinariis... in « suis respective diœcesibus, ut diligenter... inquirant et « procedant contra omnes et singulos sacerdotes, tam « sæculares quam regulares, quomodolibet exemptos..., « cujuscumque dignitatis et præeminentiæ [1]...,qui aliquem « pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu « sacramentalis confessionis [2], vel ante, [3] vel immediate « post confessionem, vel occasione [4], vel prætextu confes-

1. Ipsimet Episcopi sunt denuntiandi S. Pontifici, a quo solo puniri possunt. (*V.* S. Liguor., lib. 6, nº 685.)

2. Damnata fuit ab Alex. VI propositio sequens : « Confessarius, qui « in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legen- « dam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confes- « sione. » Imo in actu confessionis censetur sollictasse confessarius qui imposuit mulieri, ut expectet eum domi, vel si interroget ubi habitet, si postea domi revera eam sollicitet. (S. Liguor., lib. 6, nº 676.)

3. Hoc verbum *ante,* juxta communiorem, *stricte* intelligi debet; sed notandum quod si' confessione nondum quidem incipienda, sed tamen petita, confessarius pœnitentem sollicitet, erit denuntiandus, eo quod *occasione confessionis* sollicitaverit. (S. Lig., *ib.*, nis 677 et 678.)

4. Si, cognita per confessionem mulieris fragilitate, postea domi confessarius eam sollicitet, controvertitur an sit tunc denuntiandus: affirmantem sententiam probabiliorem habet S. Liguor. (*ibid*), eo quod

« sionis [1], vel etiam extra occasionem confessionis in con-
« fessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas
« destinato aut electo, simulatione audiendi ibidem con-
« fessionem [2], ad inhonesta et turpia sollicitare, vel pro-
« vocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu,
« sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tenta-
« verunt, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel
« tractatus, temerario ausu habuerint; et quos... culpa-
« biles repererint, in eos, pro criminum qualitate... severe
« animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam
« Gregorii... constitutionem..., rursus concedentes facul-
« tatem, ne delictum tam enorme... remaneat ob proba-
« tionum defectum, impunitum..., procedendi cum tes-
« tibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones,
« indicida et alia adminicula concurrant.

in casu verificetur quod sollicitatio sit facta occasione confessionis: supponitur mulierem id scire. Idem Sanctus pariter denuntiandum putat confessarium qui petit a muliere consensum copulæ, ipsi promittendo eam audire in confessione.

1. Si nempe ex pravo fine invitat mulierem ad confitendum, et deinde sollicitet. — An autem denuntiari debeat confessarius qui convenit cum muliere ut, ad eludendos domesticos, se fingat ægrotam, et ipsum accerset domum ad crimen patrandum? Controvertitur, et sententiam negantem probabiliorem habet S. Liguor., quia tunc non verificatur quod confessarius sollicitet prætextu confessionis, sed tantum quod prætextu confessionis peccatum exequatur, ita ut prætextus confessionis tunc ordinetur, non ad sollicitationem, sed ad domesticos decipiendos. Secus autem putat esse dicendum si, muliere sollicitationi renuente consentire, ob timorem diffamationis, sacerdos ei suadeat ut fingens se ægrotam ipsum accersat ad peccandum, quia in hoc casu sacerdos consensum mulieris sollicitat prætextu confessionis. (S. Lig., *ibid.*, n° 679.)

2. Simulatio debet esse ex utraque parte, confitentis nempe et confessarii; nec sufficit si femina, flexis genibus coram confessario, extra confessionale assistat, sed insuper requiritur ut confessarius voce, nutu, vel aliqua actione, puta applicando aures simulet confessionem audire. In bulla enim dicitur *Simulantes confessiones audire.* Simulatio tamen sufficienter adest ex parte confessarii, juxta S. Liguor., si ipse adsit tantum in confessionali, quia verba bullæ intelligi possunt de simulatione facta tantum in aliis locis ad confitendum electis. Præterea ex decreto S. Inquisitionis denuntiandi sunt omnes qui confessionali abutuntur ad turpia tractanda, quod certe in casu contingit. (S. Lig., lib. 6, n° 680.)

« Meminerint præterea omnes et singuli sacerdotes, ad « confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari « suos pœnitentes, quos noverint ab aliis fuisse ut supra « sollicitatos, sedulo monere, juxta òccurrentium casuum « circumstantias, de obligatione denuntiandi locorum Or- « dinariis prædictis personam quæ sollicitationem com- « miserit, etiamsi sacerdos sit qui jurisdictione ad abso- « lutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio « inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive sol- « licitationi pœnitens consenserit, sive consensum mi- « nime præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollici- « tationem jam effluxerit, aut sollicitatio a confessario, « non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Ca- « veant insuper diligenter confessarii ne pœnitentibus, « quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem « absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem « prædictam ad effectum perducentes, delinquentem in- « dicaverint competenti judici, vel saltem se, cum pri- « mum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

132. Paulo post adjicitur contra eos qui innocentes sacerdotes calumniarent : « Quæcumque persona quæ « execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per « seipsam innocentes confessarios impie calumniando, « vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque « sacerdote, quovis privilegio, auctoritate et dignitate mu- « nito, præterquam a Nobis, nostris que successoribus, nisi « in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis « obtinendæ, quam Nobis et successoribus prædictis reser- « vamus, perpertuo careat. »

133. In Edicto autem generalis Inquisitionis 10 mart. 1677, latæ sententiæ excommunicatio imponitur in non denuntiantes, infra mensem, omnes de hæresi suspectos, inter quos enumerantur confessarii ad turpia sollicitantes. — Quamvis hæc excommunicatio non sit absolute reservata, ab ea tamen absolvi nequeunt pœnitentes, nisi facta prius denuntiatione, quando saltem justam non habent

causam illam differendi [1]. Imo, juxta Stremler [2], etiamsi hanc haberent. Hoc decreto ad denuntiationem astringuntur omnes, etiam non sollicitati, modo resciant.

134. In decreto *In Generali Congregatione*, hæc insuper sancivit Bened. XIV: « In posterum, sacerdotes tam « sæculares quam regulares cujuscumque ordinis..., vel « in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, « aut prætextu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missæ « abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure... contra « eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incur- « rant ad præfati sacrificii celebrationem. » Hoc decretum legi potest initio Theologiæ moralis S. Liguorii, *Decretum III*. Hujusmodi pœnæ sunt tantum ferendæ sententiæ juxta Instruct. S. Inquisitionis infra referendam.

135. II. Die 20 februarii 1867, prodiit, circa præsentem sollicitationis quæstionem, sequens S. Congreg. Inquisitionis Instructio : *V. Revue des sciences*, n° 106, t. 18, p. 358.

« Quæ Supremus Pontifex glor. mem. Bened. XIV in « Constit. die 1 junii, anno 1741, edita, cujus initium est « *Sacramentum pœnitentiæ*, confirmavit ac decrevit, ea ad « hæc quatuor maxime capita reducuntur. In primis, « quemadmodum jam antea sancitum fuerat, præsertim a « Gregorio XV, Constitutione quæ, sub die 3 aug. anno « 1622 data, incipit *Universi*, omnes locorum Ordinarii « æque ac Inquisitores deputantur judices ad inquirendum « et procedendum, et condignis pœnis animadvertendum « contra sollicitantes ad turpia in confessione quamvis ab « ordinaria jurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem « omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones con- « stituti, sicut antea quoque præscriptum erat, obligantur « monere suos pœnitentes ut sollicitantes hujusmodi, « quamprimum poterunt, Inquisitoribus aut locorum Or- « dinariis deferant; eosdemque pœnitentes non absolvere « qui huic adimplendo muneri parere recusent. Præterea « tertio loco Apostolicæ Sedi reservatur, excepto mortis

1. S. Liguor., lib. 6, n° 693.
2. P. 109, *in fine*, § 7.

« articulo, eorum casus qui innoxios sacerdotes apud ec-
« clesiasticos judices falso sollicitationis insimulant, vel
« sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique,
« sacerdoti cuilibet omnis facultas et jurisdictio ad sacra-
« mentales confessiones personæ complicis in peccato
« turpi, contra sextum decalogi præceptum commisso,
« excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat ne-
« cessitas: nimirum si in ipsius mortis articulo alter sa-
« cerdos desit, qui confessarii munere fungatur, vel sine
« gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut
« accedere nequeat[1]. Et Apostolicæ Sedi reservatur eorum
« confessariorum casus, qui complicem in peccato turpi
« absolvere ausi fuerint.

« Nullum sane dubium est, quin hæ præscriptiones,
« prohibitiones, reservationes omnes et singulæ in cunc-
« tas nationes universim vires suas extendant, et ubique
« terrarum inconcusse ac inviolabiliter observandæ sint.
« Quod quidem vel legenti Gregor. XV et Bened. XIV
« constitutiones evidentissime patet, et idipsum conse-
« quentium Pontificum suffragio, prout se dedit occasio,
« ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera
« Vicario Apostolico Cocincinæ sciscitanti: 1° *An Constitutio*
« *Bened. XIV adversus sollicitantes obliget etiam missio-*
« *narios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocin-*
« *cina? 2° An eadem constitutio restringi possit ac mode-*
« *rari in aliquo casu ob magnam confessariorum penuriam*
« *in eodem regno Cocincinæ?* — Jussu Pii VI, anno 1775,
« opportuna instructione responsum fuit : ad 1, *affirma-*
« *tive*; ad 2, *negative*. Et proxime sanctissimus D. N. Pius
« Papa IX decreto hujus Supremæ Inquisitionis, sub feria
« IV, die 27 junii, anno 1866, edixit : *In facultatibus,*
« *quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex conces-*
« *sione apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus*
« *Apostolicæ Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum*
« *et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Bened.*
« *XIV, quæ incipit :* SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ. Hoc de-

1 Const. ejusd. S. P. Bened. XIV, *Apostolici muneris*, die 8 febr. 1745.

« cretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis præ-
« dicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione
« significandum mandavit.

« Quamobrem omnibus locorum Ordinariis enitendum « summopere est, ne eorum vigor, quæ in prædicta Con- « stitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elan- « gueat. At Eminentissimi PP. Cardinales Supremi Inqui- « sitores nuper cognoverunt eamdem Constitutionem non « ubique, sicut par esset, executioni tradi, atque in ali- « quibus locis nonnullos, tum in denuntiationis onere « adimplendo, tum in judicio contra sollicitantes insti- « tuendo, irrepsisse abusus, qui sine justitiæ ac providæ « severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque « neque inopportunum, neque ipsis locorum Ordinariis « ingratum fore judicarunt, si quæ contra eosdem abusus « ab hac Suprema Congregatione ad tramites sacrorum « canonum decreta fuerunt, in unum collecta præ oculis « habeantur. Ad quem effectum præsentem instructionem « edi mandarunt.

« 1° Personæ, sive mares sive feminæ, quæcumque « illæ sint, ad turpia sollicitatæ in confessione, vel occa- « sione, aut prætextu confessionis, quemadmodum enu- « cleate in memorata constitutione præcipitur, reum ad « Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

« 2° Denuntiare oportet quemcumque sacerdotem, etiam « jurisdictione carentem, sollicitantem in confessione, vel « etiam sollicitationi consentientem [1], quamvis statim dis- « sentientem de turpi materia loqui, illius complementum « ad aliud tempus differentem, et non præbentem absolu- « tionem pœnitenti [2].

« 3° Hujusmodi denuntationes a nemine absque culpa « lethali omitti possunt. Qua de re pœnitentes debent

1. Proinde probabilis aut licite observanda non videtur opinio, cui adhæret S. Liguor., lib. 6, n° 681, juxta quam non est denuntiandus confessarius sollicitationi consentiens. — In hoc enim casu, *illiciti et inhonesti sermones habentur* occasione confessionis.

2. « Ex declar. diei 11 febr. 1661, confirmata in Constit. SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ. »

« admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque « eorum bona fides excusat.

« 4° Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones con- « stituti, qui de hac obligatione pœnitentes suos non ad- « monent, debent puniri [1].

« 5° Pœnitentes admoniti et omnino renuentes ne- « queunt absolvi : qui vero ob justam causam denuntia- « tionem differre debent, eamque, quo citius poterunt, « faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

« 6° Denuntiationes anonymæ contra sollicitantes ad « turpia nullam vim habent : denuntiationes enim fieri « debent in judicio, nempe coram Episcopo ejusve dele- « gato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes « teneat, et cum juramento et cum expressione et sub- « scriptione sui nominis; nec sufficit si fiat per apochas « vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris [2]. « Cæterum prohibetur, ne in recipiendis denuntiationibus, « præter judicem et notarium, virum utrumque ecclesias- « ticum, speciali et scripto exarata Episcopi deputatione « munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex « denuntiantibus quæratur num sollicitationi consense- « rint, et convenientissimum foret si, de hujusmodi con- « sensu *quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in* « *tabulis* [3].

« 7° Denuntiationis onus est personale et ab ipsa per- « sona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis « difficultatibus impediatur quominus hoc perficere ipsa « possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam « personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium, vel « Sanctam Sedem per Sacram Pœnitentiariam, vel etiam « per hanc Supremam Inquisitionem, expositis omnibus « circumstantiis, et deinde se gerat juxta instructionem « quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat « juxta consilia et monita sui confessarii. Ast, si nullo

1. « Ex declar. sub diebus 20 mart. 1621, 10 octobris 1626, penes Albit., loc. cit., n° 21. »

2. Albit. loc. cit., n° 21.

3. Ex declar. Urbani VIII, sub fer. V, die 17 apr. 1624.

« impedimento detenta, denuntiationem omnino renuat, « in hoc casu aliisque supra memoratis, laudandus est con- « fessarius, qui operam suam pœnitenti non denegaverit, « et vel Ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportuna « providentia consuluerit, suppresso tamen pœnitentis « nomine. Formulas autem his in casibus adhibendas « tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli, t. I, con- « sult. 104, Carena, Albitius, etc.

« 8° Non infrequenter occurrit casus, ut confessarius « aliusve ecclesiasticus vir ab Episcopis (quorum utique « hoc potestas est) deputatur ad denuntiationes recipiendas « in re ad sollicitationis crimen spectante absque inter- « ventu notarii : huic instructioni folium adjicitur circa « modum quo hisce in casibus confici denuntiatio debet. « Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime « idonei destinantur, de actu denuntiationis judicaria « ratione assumendo instrui debent ac moneri, ut statim « a recepta denuntiatione, eam continuo ad ipsum Epis- « copum a quo fuerunt deputati caute transmittant, neque « confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi « retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter « denuntiandi munus adimpletur. Profecto a locorum « Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suæ jurisdictioni « subjecta applicare oporteat quod pro missionibus Per- « nambuci in America, die 22 januarii anno 1627, decla- « ratum fuit : *mulieres videlicet sollicitas non teneri ad « denuntiationem, si ministri Inquisitionis et vicarii Epis- « copi in longinquis regionibus degentes sine gravi incom- « modo adiri nequeant.*

« 9° Si in denuntiationibus, quod non raro contingit, « aliæ indicantur personæ forte pariter sollicitatæ, vel quæ « de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione pos- « sint, hæ quoque omnes et seorsim, judiciaria forma « superius enuntiata, examinandæ sunt : et primo per ge- « neralia, deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad par- « ticularia deveniendo, interrogari debent, utrum et quo- « modo revera fuerint ipsæ sollicitatæ vel alias personas « fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

« 10° Accepta denuntiatione, non illico proceditur, sed « a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum

« persona denuntians sit fide digna. Sollicitationis crime
« ut plurimum secreto perpetratur ; hinc privilegiu
« est ut, in causis quæ contra hoc crimen instituuntur
« ad plenam probationem faciendam attestatione
« etiam singulares admittantur. At in memoratis Sum-
« morum Pontificum Constitutionibus præscribitur, n
« cum testibus singularibus procedatur, nisi præsump-
« tiones, indicia et alia adminicula concurrant. Pondu
« igitur cujusque denuntiationis, qualitates et circumstan-
« tiæ serio accurateque perpendendæ sunt, et antequa
« contra denuntiatum procedatur, perspectum explora-
« tumque judici esse debet, quod mulieres vel viri de-
« nuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandu
« vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur
« Oportet enim ut testes hujusmodi siugulares ab om-
« nibus privatis affectionibus sint immiunes, ut ipsis integr
« fides haberi possit[1].

« 11° Ea est hujus Supremæ Inquisitionis consuetudo,
« ut post unam alteramve denuntiationem rescribatur,
« quod denuntiatus observetur, ita videlicet super delat
« crimine suspectus habeatur, ut, cum primum per nova
« denuntiationes res explorata erit, in judicium vocandu
« sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denuntiatione proced
« solet. Ad formale examen vocantur parochi vel probatæ
« fidei spectatæque virtutis viri, præsertim ecclesiastici,
« qui cum juramento de veritate dicenda et de secreto
« servando super qualitatibus denuntiantium et denun-
« tiati, et super mutuis eorum odiis et inimicitiis exami-
« nentur. Hisce peractis diligentiis, reus in judicium addu-
« citur, et coram judice, cum interventu ecclesiastici viri,
« qui notarii partes agat, super singulis cujusque de-
« nuntiationis et examinis adjunctis juramento dicendæ
« veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur solertis-
« sime ne denuntiantium nomina reo manifestentur, et ne
« sacramentale sigillum quoquo modo violetur.

« 12° Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas,
« reo ad defensionem, prout jura exposcunt, admisso,

1. Ex Instr. jussu Pii VI, anno 1775 ad Vicar. Apost. Cocincinæ data.

« deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum « ne confessiones excipiat, substrahendo omnes et quas- « cumque facultates ad id muneris eidem etiam per quod- « cumque privilegium, vel a Sancta Sede impertitas. Hujus- « modi sententiam Episcopus ipse et non alius ab eo dele- « gatus proferat : et pro modo culpæ atque omnibus « attentis circumstantiis, cæteras quoque pœnas reo irro- « get, quæ in supra dictis pontificiis constitutionibus « decernuntur. Præterea si reus in judicio crimen con- « fessus fuerit, congruam debet emittere abjurationem, « ut se ita purget ab eo, quam incurrit, hæresis suspicione; « et hac quoque pœna in ipsa sententia mulctetur. Notan- « dum est pœnas hujusmodi omnes et ipsam inhabilitatem « ad sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum, in « decreto Bened. XIV, die 5 aug. 1745 præscriptam, « esse tantum ferendæ sententiæ. Abstinendum tamen « erit ab infligenda degradatione et traditione brachio sæ- « culari. Id enim a Gregorio XV statutum fuit : cæterum ad « terrorem potius impositum haberi debet quam ut execu- « tioni mandetur [1].

« 13° Qui nullis omnino super hoc crimine denuntiatio- « nibus, conscientia victi, Ordinario loci ejusve delegato se « sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confi- « tentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua « abjuratione et pœnitentiis duntaxat salutaribus, adjecto « consilio vel præcepto ut ab excipiendis personarum sol- « licitatarum sacris confessionibus se abstineant : nec cæte- « ris pœnis antea dictis, accedentibus licet postmodum « denuntiationibus afficiantur. Qui vero judiciaria forma « jam præventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt; « et ii pariter, quos veritatem non integram sed diminu- « tam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius « loci, ex acceptis postea denuntiationibus deprehenderit, « beneficio impunitatis non gaudeant, verumtamen pro ip- « sius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

1. Albit. *op. cit.* c. 15, n. 13 et Bened. XIV, in privata Epistola, die 11 nov. anno 1743, data ad Emmanuelem de Azevedo, S. J. presbyterum. »

« 14° Quod in hisce causis vel ex commissione aposto-
« lica, vel ex jure Episcoporum proprio tractandis, majorem
« in modum curari et observari debet, illud est, ut eædem
« causæ, utpote ad fidem attinentes, secretissime pera-
« gantur, et postquam fuerint definitæ et executioni jam
« traditæ, perpetuo silentio omnino premantur. Omnes
« curiæ ecclesiasticæ administri, et quicumque alii, ad has
« pertractandas vel patroni ad defendendas causas assu-
« mentur, jusjurandum de secreto servando debent emit-
« tere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad ser-
« vandum secretum adstringuntur, prout in jure cautum
« est cap. *Statuta*, fin. *De hæreticis*, in 6°, et in Clemen-
« tina *Multorum*, § *Porro*, *De hæreticis*. Qui vero denun-
« tiationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis exa-
« mini subjiciuntur, juramentum ab initio de veritate
« dicenda, et, actu expleto, de secreto servando, tactis
« sacrosanctis Dei Evangeliis, etiamsi sint sacerdotes,
« præstare tenentur. Hæc si caute, sancteque teneantur,
« nullum invidiæ infamiæque vel aliud quodvis periculum
« timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel
« competentes judices ab investigando et condignis pœnis
« animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

« 15° Indultum fuit a Pio IV in instructione, de qua an-
« tea dictum est anno 1775, ad vicarium apostolicum Co-
« cincinæ data, ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis
« ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare,
« quæ in hisce causis servanda sunt; et cum, si aliqua ex his
« omittantur, justitia non patiatur ut pœnæ infligantur
« adversus reos de quorum crimine judiciaria ratione ad-
« huc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset
« si extra judicii ordinem procedatur ad occurrendum
« tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis,
« quos in casibus particularibus vicarii apostolici pruden-
« tia cum animarum zelo conjuncta suggeret. Jam vero
« quisque videt hanc indulgentiam, pro locis adeo dissitis
« ac disparatis factam, neque omnibus esse communem,
« neque absque Apostolicæ Sedis auctoritate jure posse
« ubivis induci.

« 16° Cæterum si locorum Ordinarii in conficiendis pro-

« cessibus, vel etiam confecto processu in proferenda sen-
« tentia contra sollicitantes ad turpia, in confessione gra-
« vioribus involvantur difficultatibus, rem transmissis actis,
« deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem,
« quæ peculiares instructiones singulis casibus accommo-
« datas, ut sæpe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si
« expediens fuerit, ipsa proferet. Hæc sunt quæ ad præ-
« dictam pontificiam constitutionem caute recteque exe-
« quendam conducunt, quæque, utpote ubique locorum
« observatu facilia, sacra hæc Congregatio supremæ et
« universalis Inquisitionis pastorali Ordinariorum zelo ac
« sollicitudini vehementer commendat. — Datum Romæ,
« die 20 februarii, an. 1867.

136. » Modus quo recipi debent denuntiationes, in re « ad sollicitationem spectante, ab iis, qui ad denuntiatio- « nem aliquam absque interventu notarii recipiendam de- « legantur :

« Die... mensis... anni :

« Sponte personaliter comparuit coram me infra scripto, « sistente in.... (notabit locum ubi reperitur ad actum reci- « piendum), ad hunc actum tantum ab Illustrissimo et « Reverendissimo N. specialiter delegato, prout ex ejus- « dem Ordinari ilitteris mihi directis et datis sub die.... (ex- « primet quo die ipsi scriptæ fuerint litteræ) præsenti de- « positioni alligandis, NN....» (Scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, ætatem, conditionem et habitationem personæ denuntiantis ; et si hæc religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in sæculo. Deinde prosequetur :) « Cui delato juramento veritatis dicendæ, quod præstitit tactis SS. Dei Evangeliis (quæ manu tangere faciet), exposuit ut infra videlicet...» (Hic persona denuntians vernaculo sermone declarare debet se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi, absque interventu notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia justis de causis eidem Reverendissimo Antistiti se sistere nequit ; deinde narrare continuo debet quæ ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adjuncta, nec-

non utrum in actu confessionis, an prius vel post sacramentalem absolutionem ea venerint. Nominare debet confessionalem sedem et ipsum confessarium sollicitantem, et quatenus hujus nomen et cognomen aut ignoret, aut oblita fuerit describet accurate personam, omnes distincte caracteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denuntiantem utrum consensum ad actum turpem quocumque modo præstiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce scriptis prout narratur, delegatus quæ sequuntur neque aliud præterea quidquam nequiret) :

« *Interrogata : an sciat, vel dici audierit, dictum NN.*
« (nominando personam) *confessarium sollicitasse alias*
« *pœnitentes ad turpia? Et quatenus, etc.*

« *Respondit :* (notabit responsionem, et si hæc affirma-
« tiva fuerit nomen et cognomen personarum sollicitata-
« rum exquiret et causam scientiæ).

« *Interrogata de forma supradicti confessarii NN. tam*
« *apud se, quam apud alios? Et quatenus, etc.*

« *Respondit* (responsionem exscribet).

« *Interrogata : an odio vel amore præfata deposuerit, et*
« *super inimicitia, aliisque generalibus, etc.? Et quatenus,*
« *etc.*

« *Respondit : Recte* (si ad propriam conscientiam exo-
« nerandam denuntiasse se dicet).

Si a sollicitatione plus uno mense præterlapsum fuerit, erit etiam interroganda :

« *Interrogata : cur tandiu distulerit præfata denuntiare*
« *proprio Ordinario, et conscientiam suam exonerare?*

« *Respondit* (notabit responsionem).

Actus claudatur hac ratione :

« *Quibus habitis et acceptatis etc., dimissus* (vel dimissa)
« *fuit juratus* (vel jurata) *de silentio servando ad novum*
« *tactum SS. Dei Evangeliorum* (super Evangelium iterum
« jurabit) *et in confirmationem præmissorum se subscripsit*
« (et si scribere nesciat), *et cum scribere nesciret, prout*
« *asserit, fecit signum crucis* (crucis signum calamo facien-
« dum ab ea exiget).

« Postquam denuntians se subscripserit, aut Crucis « signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo :

« *Acta sunt hæc per me NN. ab Illustrissimo et Reve-« rendissimo antistite NN. ut supra specialiter delegatum.*

« Integrum deinde actum directe ad proprium Ordina-« rium delegantem transmittet una cum instructione et « litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo. »

137. III. Expendendi sunt nunc plures casus materiam sollicitationis spectantes :

1° An sit denuntiandus sollicitans ad actus venialiter duntaxat inhonestos? — Quidam quidem affirmant, eo quod actus hujusmodi, etsi leviter inhonesti extra sacramentum, graviter tamen inhonesti sunt in sacramento cui injuriam irrogant : sed sententia negans uti probabilior habetur à S. Liguorio; et ratio ipsius est quod ideo est denuntiandus sollicitans quia suspectus de fide reputatur : porrò talis suspicio cadere nequit in eum qui non sollicitat nisi ad actus leviter inhonestos [1].

138. 2° An denuntiandus sit confessarius qui ad peccata non turpia sollicitat, v. g. ad furandum, ad calumniandum, etc. ? — Duplex est sententia : Prima affirmans, quæ S. Liguorio *satis probabilis* videtur, eo quod sit denuntiandus suspectus de fide, qualis censendus confessarius in casu. Communissima tamen et probabilior sententia negat : et ratio est quòd in Bullis non imponitur obligatio denuntiandi nisi sollicitantes ad turpia. Dicitur quidem denuntiandos esse qui *illicitos et inhonestos sermones* habent, sed per *illicitos* intelliguntur communiter tantum sermones inhonesti. — Notandum etiam obligationem sacerdotes denuntiandi ad turpia sollicitantes intra sacrum Pœnitentiæ tribunal, extendendam non esse ad alia sacramenta [2] — hæc quidem de jure positivo, de jure vero naturali posset aliquando adesse obligatio denuntiandi in præfatis casibus.

139. 3° An sit denuntiandus sollicitans quando constat illum fuisse emendatum? — Plures negant, quia cessat

1. S. Liguor., lib. 6, n° 683.
2. S. Liguor., *ibid.*, n° 684.

tunc præcipuus legis finis, nempe rei emendatio procuranda. Alii econtra affirmant, quia finis præcipuus legis denuntiationem imperantis est rei punitio ; porro hic finis non cessat in casu. Absolute probabiliorem hanc secundam sententiam reputat S. Liguor. [1]. — Ex instructione tamen S. Inquisitionis supra relata (13°) forte concludi liceret primam opinionem improbabilem non esse ; quoad vero signa emendationis legi potest S. Liguorius [2].

140. 4° Idem Sanctus [3] longe probabilius habet, contra nonnullos, quod denuntiandus sit confessarius qui de sollicitatione jam fuerit satis convictus et punitus. Si vero non fuisset jam plene convictus, vel si iterum deliquisset, certo esset denuntiandus.

141. Laicus se confessarium simulans, non esset quidem denuntiandus vi supradictorum constitutionem si sollicitaret, sed denuntiari deberet ex Const. Gregorii XIII, denuntiandum jubente *quemcumque* sacramentaliter confessiones audientem, licet absolutionis verba ipse non proferret, juxta edictum S. Inquisitionis a S. Liguorio relatum [4].

142. Probabilius denuntiandi non sunt confessarii sollicitantes, qui jam e vita migraverunt [5].

143. 5° An sit denuntiandus confessarius in dubio an sollicitaverit? : — Vel sollicitatio est certa et dubitatur solummodo utrum iste vel alius id egerit, et tunc adest obligatio denuntiandi modo sit spes quod facile detegi certe poterit verus sollicitans. Vel dubitatur an vera fuerit sollicitatio ex parte confessarii certe cogniti, et tunc verius et communius opinatur non esse tunc obligationem denuntiandi, nisi accederint indicia sollicitationis vehementissima [6].

Controvertitur autem an sit habendus tanquam sollicitans qui mulierem laudat de pulchritudine; et, juxta S. Liguor., decisio casus pendet ex circumstantiis et modo

1. *Ibid.*, n° 686.
2. *Ibid.*
3. *Ibid.*, n° 687.
4. *Ibid.*, n° 688.
5. S. Liguor., *ibid.*, n° 692.
6. S. Liguor., *ibid.*, n° 703.

loquendi : denuntiandus est quidem confessarius, si appareat quod laudatio ex pravo affectu fiat, secus si ex imprudentia et animi levitate.

Probabilius vero denuntiandus esset qui mulieri diceret: *Tecum nuberem, si essem sæcularis.* Si autem diceret: *Memento meî quia te ex corde diligo*, explorandum esset ex circumstantiis an propter hoc confessarius sit denuntiandus. — Si dicat: *Expecta me hodie domi tuæ, quia habeo tecum loqui*, et postea revera eam domi inviset et de inhonestis tractet, est denuntiandus.

Item si pœnitenti dicat : *Hæc tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem involuntariam*, et à fortiori si dicat : *voluntariam.*

Imo si mulieri confessionem petenti dicat : *Nolo te audire in confessione ne aliquod mihi contingat, quia amore tuî captus sum*, est denuntiandus, quia inhonesta sunt hujusmodi verba, et *occasione confessionis* proferuntur.

Si mulieri turpem tentationem repulisse asserenti dicat: *Sed si aliquis tibi pecuniam dedisset, peccasses?* et non objurget casu quo affirmative respondisset, vel si objurget, et tamen postea domi, oblata pecunia, eam sollicitet, est denuntiandus.

Si dicat: *Cur etiam mecum non es humana ?* aut: *Veniam in domum et promittis mihi facere quod voluero.?* Vel turpe desiderium confitenti dicat : *De hoc agemus post confessionem*, esset denuntiandus, nisi deprehenderetur ex circumstantiis in his verbis non adfuisse sollicitationem.

Denuntiandus pariter esset qui concubinam objurgaret quod cum aliis se immiscuerit, ostendendo sic se agere ex zelotipia. Vel si eam de peccatis cum aliis commissis solummodo vituperet, non autem de iis secum patratis [1].

144. 6o An sit obligatio denuntiandi sacerdotem ad turpia sollicitantem, sed sine ulla relatione, etiam indirecta, ad confessionem? — Vel quæstio de jure positivo investigatur, vel de jure naturali : si prius, nulla in dicto jure reperitur quoad hoc præscriptio : si posterius, contingere possent casus in quibus esset hujusmodi obliga-

1. S. Liguor., lib. 6, no 704.

tio : nempe si ageretur de sacerdote valde pernicioso multos corrumpente, vel si prævideretur esse corrupturus est enim talis sacerdos lupus in ovili, quo viso, omnes absque mora clamare debent : sed de hoc bene constare debet. Vide P. Gury in prioribus editionibus *Compendii*[1] et RR. DD. Bouvier, *Dissertatio in sextum.*

145. An imponi possit ab Episcopis obligatio denuntiandi omnes sacerdotes ad turpia sollicitantes? — Posse quidem ab ipsis etiam cum censura imponi obligationem denuntiandi corruptores de quibus modo dictum fuit; sed extra hos casus, generatim Episcopus non valet fideles obligare ad denuntiandos omnes sacerdotes ad turpia sollicitantes extra occasionem confessionis sacramentalis : agitur enim hic de crimine, ut plurimum, occulto; porro non licet aliquem infamare, nisi id exigat bonum commune, aut saltem bonum innocentis quod aliter vitare non posset. V. P. Gury [2], et nostrum Manuale [3].

146. 7o An facile fides sit adhibenda mulieribus sacerdotem de sollicitatione accusantibus? — Adhærendum putamus responsioni P. Gury, quæ sic se habet [4] : Resp. « Neg. ; sed sedulo pensandæ sunt tum confessario , tum « superioribus variæ circumstantiæ rerum et personarum: « non semel enim visæ sunt mulierculæ, quæ ex invidia, « odio, zelotipia, aliove motivo perverso clericos prorsus « innocentes, atrociter calumniatæ fuerint. Omnia igitur « adjuncta maturo examine pensanda sunt, præsertim « quando mulieres videntur facile præcepto denuntiationis « faciendo obtemperantes ».

147. Ex Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, et Instructione S. Congr. Inquisitionis supra relatis, pœnitentes sollicitati tenentur ad denuntiationem, etiamsi sollicitationi consenserint, sed suum consensum manifestare non tenentur; imò de hac circumstantia interrogari nequeunt ; et si sponte confiterentur, altum de tali manifestatione silentium

1. T. II, no 552.
2. *Compendium*, t. 2, no 590, *Nota* 2a.
3. No 5833, etc.
4. *Ibid.*, no 596.

servari deberet in actu depositionis. Absolvi quidem non debent qui nolunt denuntiationis obligationem adimplere, aut non sunt parati huic satisfacere statim ac poterunt, casu quo hanc sine gravi infamiæ periculo, hic et nunc implere non valent. Laudabiliter verο aget tunc confessarius, ut dicitur in Instruct. S. Inquisitionis (7°), si recurrat ad Episcopum vel ad S. Sedem quominus opportune huic necessitati provideatur, non tamen, ante responsionem, absolutionem concedere debet, cum potestate careat hanc impertiendi.

148. Casu autem quo pœnitens juste impeditus denuntiare, quia, v. g., ministri tribunalis longe distarent, aut esset necessitas communicandi ad vitandum scandalum, aut ad lucrandam indulgentiam, etc., posset quidem tunc absolvi, si dispositus esset ad denuntiandum statim ac istud officium implere poterit, imo et deberet; sed admonendus esset de adimplenda quam primum hac obligatione sub pœna excommunicationis majoris incurrendæ, si ultra mensem differat. De qua omissione debebit admonere postea suum confessarium in proxima confessione, cum alioquin non posset absolvi. Facta autem denuntiatione, pœnitens absolvi potest a quocumque confessario, simpliciter etiam approbato, et satis probabiliter licet excommunicationem incurrisset differendo ultra mensem debitam denuntiationem. Ita S. Liguor. qui tamen citat plures secus sentientes quoad absolutionem excommunicationis[1]. Nititur hæc sententia præsertim decreto 10 mart. 1677 S. Inquisitionis, quo revocatum fuisse videtur aliud decretum 3 Januarii 1623, vi cujus præfata excommunicatio S. Sedi reservatur.

149. Admonendus pœnitens de sua obligatione, etsi confessarius certo prævideat quod non sit denuntiaturus : licet enim, generatim loquendo, confessarius debeat se abstinere ab admonendo pœnitente, quando prævidet admonitionem non esse profuturam, *hoc tamen non currit*,

1. Lib. 6, n° 693.

inquit S. Liguor. [1], *quando agitur de vitando damno communi, ut evenit in præsenti casu.*

150. Qui sollicitationem nequit juridice probare ad denuntiandum etiam tenetur juxta propositionem 5, ab Alexandro VII proscriptam, sic se habentem : *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis* [2].

151. Item est obligatio denuntiandi sollicitantem, etsi crimen sit occultum : alioquin præceptum denuntiandi inutile evaderet in casu præsenti, ut evidenter patet [3].

Et idem est dicendum quamvis nulla præcesserit correctio fraterna, etiamsi certo esset profutura : ut constat ex decreto Alexandri VII, 8 Julii 1661, ubi declaratum fuit : « Etiamsi nulla fraterna correctio vel alia monitio præmissa fuerit, omnes teneri (fideles) ad denuntiandum « quos noverint esse de fide, quomodolibet etiam leviter, « suspectos. » Inter quos communiter computantur sollicitantes : per dicta verba patet semper in casu denuntiationem esse faciendam [4].

152. Diximus supra (135, 9°) quod non solum sollicitatus ad denuntiandum teneatur, sed etiam quicumque scit certo sollicitationem contigisse, etsi impuber sit, modo crimen didicerit non a personis parum fide dignis, puta feminis levibus; hoc constat ab edicto Inquisitionis 10 mart. 1677.

Sunt tamen casus excipiendi : nempe, v. g., si sollicitatio fuerit manifestata ad petendum consilium : quia bonum commune exigit ut secretum tunc servetur.

Si vero sub secreto naturali tantum sciret quis sollicitationem, recte tenent Palaus et alii, contra nonnullos, esse tunc obligationem denuntiandi, quia nemo tenetur ad secretum, etiam cum juramento promissum, quando vergit in damnum commune [5].

1. *Ibid.*, n° 694.
2. S. Lig., *ibid.*, n° 695.
3. S. Lig., *ibid.*, n° 696.
4. S. Lig., *ibid.*, n° 701.
5. S. Liguor., *ibid.*, n° 698.

Non excusatur pœnitens a facienda denuntiatione, ob timorem ne incurrat indignationem et increpationem denuntiati, quia hoc inconveniens comparari nequit cum malis ex corruptione sacerdotis provenientibus [1].

153. Etsi denuntiatio debeat esse personalis, videmus in *Instruct. Inquisit.* quod si sollicitatus « gravissimis « difficultatibus impediatur quominus ipse perficere possit; « tunc vel per se, vel per Epistolam, vel per aliam personam « sibi bene visam, suum adeat Ordinarium vel Sanctam « Sedem per Sacram Pœnitentiariam vel S. Inquisitionis « Congreg. » Circa quod advertit S. Liguor : [2] « Non expe- « dire quod confessarius assumat in se hoc onus deferendi « denuntiationem vice pœnitentis, vel eam excipiendi, « quia sic non paucis detractionibus et periculis expo- « neretur; et tanto minus ad id tenetur... Cæterum (pergit « idem), non negamus... quod in aliquo casu (puta si ali- « cubi publicum immineret damnum, nec alia pateret via « ad illud vitandum) posset confessarius obligari ex lege « charitatis ad hujusmodi onus suscipiendum; sed hoc « raro accidit ».

Nota quod omnis denuntiatio anonyma veluti nulla sit habenda. (*Instr. Inquisitionis* 6°.)

Quoad modum recipiendi denuntiationes et contra sollicitantes procedendi, indicatur in *Instructione* 8°, etc. Ab ipsomet Episcopo sententia est pronuntianda, 12°.

De pœnis contra sollicitantes infligendis, vide *Instruct. Inquisit.* n° 12°, et Bullam Gregorii XV, et supra (134) [3].

1. P. Gury, *Compend.*, t. 2, n° 593.
2. *Ibid.*, n° 699.
3. Illæ pœnæ sunt : 1° suspensio ab executione ordinis ; 2° privatio beneficiorum et officiorum quorumcumque, necnon perpetua inhabilitas ad illa ; 3° privatio vocis activæ et passivæ si sint regulares ; 4° exilium, damnatio ad triremes et carcer in perpetuum absque ulla spe gratiæ : imo si pro delicti enormitate, graviores pœnas promeretur, debita præcedente degradatione, potest tradi brachio sæculari puniendus. Ita Gregor. XV, Const. *Dominici gregis*, et Bened. XIV ; 5° perpetua inhabilitas ad missæ celebrationem, atque adeo irregularitas. Ex decreto Inquisit. relato a Bened. XIV. Vide Goritia, tabula 164.

PUNCTUM II.

DE LUXURIÆ CONSUMMATÆ PECCATIS CONTRA NATURAM.

154. Cum ad prolis generationem natura exigat : 1° ut fiat commixtio duorum, 2° ut hi duo sint ejusdem speciei, 3° ut sint sexus diversi et in vase debito coeant, 4° ut eo modo coeant qui generationem procurare valeat, ac proinde eam non impediat, quadruplici modo peccari potest contra naturam in materia luxuriæ : 1° per mollitiem seu voluntariam pollutionem, 2° per bestialitatem, 3° per sodomiam, 4° per modum qui generationem impediat. Quæ antequam singula expendantur, prænotanda est sequens propositio ab Alexandro VII damnata : *Mollities*, *sodomia*, *bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ ; ideoque sufficit in confessione dicere se procurasse pollutionem.* Est vigesima quarta. Differunt ergo specie præfata peccata.

I. — De mollitie seu pollutione.

155. Mollites est pollutio peccaminosa. Pollutio autem *est effusio seminis humani extra copulam seu concubitum* : porro semen est humor viscosus ad generationem ab ipsomet Creatore destinatus : essentialiter differt ab urina quæ secretio est alimentorum et in sublevamen naturæ ejicienda instar excrementorum.

156. Pollutio differt a distillatione quæ est fluxus humoris cujusdam medii inter semen et urinam, magis quidem viscosi et glutinosi quam urina, sed minus quam semen prolificum, nec etiam adeo vehementi, sed levi tantum, imò et quandoque absque ulla carnis commotione emitti solet.

157. Juxta Sættler, apud D. Rousselot [1], non solum pollutionem experiri possunt feminæ, prout mares (isti quidem extra membrum genitale, illæ verò tam extra quam intra vas, quamvis raro extra), sed etiam habere possunt effluxum cujusdam humoris non absimilis distillationi marium, qui plerumque fit absque ullo delectatio-

1. *De sexto Decal. præcepto*, p. 28.

nis sensu, ac proinde non est confundendus cum mollitie.

Diximus pollutionem in mulieribus accidere solere in vase genitali, absque ullo effluxu exteriori, licet aliquando etiam extra effluat: hanc autem sensibiliter percipiunt, et in ea magna voluptate afficiuntur, qua completa satiantur et quiescunt; et hoc signo præsertim dignoscere poterunt confessarii an revera fuerint pollutæ [1].

158. Pollutio alia est voluntaria, alia involuntaria; voluntaria ea est quæ culpabiliter est, volita sive in se sive in causa: contra pollutio involuntaria ea est quæ nullo modo est culpabiliter volita: voluntaria pollutio est proprie, ut supra diximus, peccatum mollitiei.

Duplex est pollutio voluntaria seu mollities: *simplex* quidem, quæ nullam aliam malitiam sibi adnexam habet; et *qualificata* quæ, præter suam, malitiam aliam continet, v. g. adulterii, sacrilegii, bestialitatis, quando nempe committitur a conjugato, vel a persona Deo sacra, aut si quis, se polluendo, delectaret tanquam de conjugato, aut de persona Deo sacra, et hoc modo posset etiam pollutio induere malitiam incestus, bestialitatis, sodomiæ, etc., Si tamen non se delectaret tanquam de conjugata, aut de consanguinea, aut Deo sacra, prout tales sunt, sed tantum prout sunt personæ pulchræ, tunc, juxta S. Liguor.[2] et Billuart [3], pollutio indueret solummodo malitiam fornicationis: nisi adesset simul, quod est sedulo notandum, desiderium crimen, de quo est delectatio, committendi, nam desiderium specificatur ex objectis externis. Vide etiam libr. 5, n° 15, S. Liguorii, ubi asserit hoc esse *valde probabile.*

159. Quærit. 1° An et quatenus mollities, seu pollutio culpabiliter volita, sit peccatum?

Resp. Illam esse gravissimum peccatum contra jus naturale. Id quidem negarunt plures cum Caramuele dicentes seminis ejectionem comparandum esse profusioni sanguinis, urinæ et sudoris; ac proinde, seclusa lege Dei posi-

1. Billuart, ut supra, Diss. 6. art, II.
2. Lib. 3, n° 475, v° *Bene.*
3. *Ibid.*, Dico 2°.

tiva, licitum esse illam procurare, imo et necessarium, quoties id natura postulat. Sed hoc fuit damnatum ab Innoc. XI, ut supra diximus (28). De mollitie loquitur Apostolus, I Cor., c. 6, v. 9 et 10 : « Nolite *errare* : neque « fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque « molles, neque masculorum concubitores... regnum Dei « possidebunt. » Item in Epistola ad Galatas, c. 5, v. 19 : « Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, *immun-* « *ditia, impudicita, luxuria* et his similia, quæ prædico « sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non « consequentur. » Quibus verbis patet *molles*, *immundos*, *impudicos* excludendos esse a regno cœlorum; sed per molles, immundos, impudicos intelligi nequeunt, nisi qui se culpabiliter polluunt. Ergo mollities, seu pollutio culpabiliter volita, est grave peccatum, imo et gravissimum, cum annumeretur inter alia gravissima, prout sunt certe fornicatio, adulterium, sodomia et idololatria [1].

Ratio cur pollutio sit contra jus naturale est quod semen in mente Creatoris ad procreationem et conservationem speciei humanæ fuerit destinatum : unde nemo extra legitimum concubitum, de eo potest disponere etiam sanitatis aut vitæ conservandæ causa. Nec valet comparatio sanguinis, lactis, urinæ aut sudoris a Caramuele adducta: quia hujusmodi humores non sunt ad speciei humanæ procreationem destinati prout est semen; et insuper ejiciuntur absque voluptate; dum econtra adeo vehemens est delectatio in pollutione, ut homines passione excæcati, sibi facile passim persuaderent habere se justam causam irritandi semen extra debitum concubitum, si quando id

1. Quod pollutio sit in se mala, etiam a gentilibus fuit agnitum. Ipse Martialis poeta paganus, Epist. 42, sic quemdam Ponticum admonet: « Ipsam crede naturam dicere verum : istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est. »

Etsi gravissimum peccatum sit pollutio in genere luxuriæ, et sic gravius etiam adulterio aut sacrilegio, attamen sub alio respectu adulterium est majus peccatum, ratione nempe injustitiæ, et sacrilegium est pariter majus ratione irreligionis. Cæterum infimum locum tenet pollutio inter peccata luxuriæ contra naturam commissa. (Billuart, Diss. 6, art. 9, *Dico* 2° et 3°.)

licitum fieri posset, et quidem cum magno bonorum morum et propagationis generis humani detrimento.

160. Ne dicas licere ad individui salutem non tantum ejus sanguinem elicere, sed etiam membra ipsius amputare, imo et spermatica vasa. Ergo et etiam semen prolificum ejicere. Nam respondetur hæc fieri absque voluptatis sensu, imo nisi cum magno dolore contingere; unde non est timendum ne aliquis in hujusmodi excedat : aliter autem res se habet in seminis ejectione, ut experientia constat; proinde nulla est comparatio.

161. Probabile tamen reputat S. Liguorius [1], quod, si semen fieret vitæ perniciosum, liceret illud, ope medicamenti, corrumpere, quominus resolutum in sanguinem aut alium humorem postea ejiciatur. Ratio quia natura non obligat ad conservandum semen cum periculo vitæ, et sicut licet ad tuendam vitam testiculos amputare, quamvis absque iis homo sit omnino impotens ad generandum, ita non debet esse prohibitum semen corrumpere et postea ejicere : in hac enim hypothesi semen non ejicitur nisi corruptum ope medicamenti sine provocatione voluptatis.

Controvertitur tamen an liceat medicamentis semen corruptum expellere. Negant Salmanticenses et Roncaglia eo quod impossibile sit semen corruptum ejicere quin verum semen simul emittatur ; sed communius DD. affirmant : quia sicut licet alios humores nocentes expellere, etsi per accidens sequatur pollutio involuntaria, et sicut licet pharmacum sumere ad morbum expellendum, licet indirecte expellendus sit fœtus nondum animatus, ita et licet medio medicamenti semen corruptum ejicere, etsi verum semen per accidens emittatur. Hanc secundam sententiam sat probabilem existimat S. Liguor.[2], modo semen sit certo et non dubie corruptum, expulsio seminis corrupti fieri queat absque libidinis sensu, et non sint alia remedia semen corruptum medendi; addit insuper quod nullo modo in casu sit permittenda verendorum confricatio, quia ista de se tendit ad commovendos spiritus carnales

1. Lib. 3, nº 478, *in fine*.
2. *Ibid.*

et semen verum expellendum quod numquam est licitum. Secus sentit Billuart in ultimo casu [1], sed forte non sat prudenter, quamvis id non concedat nisi in casu intolerabilis pruritus, aut quando ex semine corrupto gravis morbus immineret.

162. Quærit. 2° An teneamur pollutionem incœptam impedire?

Resp. Si pollutio sponte eveniat, aut in somno incipiat, juxta S. Ligor., non tenemur expergefacti illam cohibere, modo absit consensus in delectationem, nec sit proximum ei consentiendi periculum. Ratio, tum quia difficillimum est avertere effluxum seminis, ut communiter asseritur à DD., tum quia impedire non tenemur cum periculo morbi ex semine corrupto inducendi, ut docent Sanchez et alii communiter : tunc enim pollutio non est volita sed solummodo passa. Et hoc idem Sanchez admittit, etiam si fuisset orta ex culpa prius commissa, modo de ea patiens doleat: contradicit tamen Sættler, ap. Rousselot [2]. Expedit vero, ait S. Liguor., *Signo crucis se munire, atque mentem ab illa turpi delectatione avertendo, ac nomina sanctissima Jesu et Mariæ invocando, eos ferventer precari ne ullum lapsum permittant* [3].

P. Debreyne Magnæ Trappæ monachus, et doctor medicus, indicat in uno ex suis operibus modum quo sine periculo sanitatis quisque potest fluxum impedire. Ad hoc sufficit, inquit, quod eo instanti quo seminis effluxus imminet, fortis fiat, medio digitorum, compressio inter crura prope anum, quoadusque penitus conquiescant motus inordinati. Pluribusque revera hoc experimentum feliciter successit, nullusque morbus inde fuit subsecutus.

163. Quærit. 3° Quid sit sentiendum de pollutione nocturna seu in somno contingente?

Resp. Esse quidem peccatum mortale si formaliter ante somnum fuerit volita et causa non sit retractata. Item si

1. Dissert. 6, art. 12, in fine.
2. In Sextum, p. 29 et 30.
3. Lib. 3, n° 479.

approbata fuerit ob delectationem post somnum. Casu vero quo in se non fuit volita, dicendum eam esse vel non esse pecatum pro natura causæ in qua fuit prævisa, vel potuit ac debuit prævideri. Si causa non fuit culpabilis, nec ipsa erit peccatum ; si culpabilis fuit venialiter aut si graviter remote in eam influxit, pollutio erit venialis ; si causa fuit mortalis graviter et proxime influens in eam, erit mortalis, nisi ante somnum fuerit revocata : in quo casu non erit quidem peccatum quando pollutio accidit, sed peccatum fuit quando fuit posita ipsius causa [1].

Casu autem quo pollutio in somno incœpta, in vigilia semiplena fluere pergit, etsi eam patiens experiatur delectationem cui non resistit, non est tamen hæc plene deliberata, proinde non est mortale, sed solummodo veniale peccatum [2].

164. Quærit. 4° An ob honestum finem, liceat pollutionem optare, aut de ea gaudere?

Respondet S. Liguor. licere semper, non de causa, sed de effectu secuto delectari, scilicet de naturæ exoneratione [3]. — An autem sit licitum, ob finem honestum, v. gr., sanitatis, minuendæ tentationis, sanitatis, tranquillitatis animi, optare simplici affectu spontaneam et naturalem naturæ exonerationem modo illud desiderium non sit causa efficax pollutionis, controvertitur inter theologos : affirmativam sententiam probabiliorem censent Salmanticenses cum S. Antonino et aliis pluribus. Licet pariter gaudere de ea, via naturali et sine peccato contingente, quia objectum hujus desiderii aut gaudii non est malum; modo, addit S. Liguor., pollutio non sit orta ex somno turpi, vel ex tactu proprio; secus, juxta Salmanticenses, si venerit ex moderato cibo aut studio utili, quia tunc pollutio esset naturalis. Nunquam tamen, juxta S. Liguor. [4], licet se complacere in delectatione causata, sed solum gaudere de pol-

1. Billuart, *ibid.*, art. 13, Dico 2°, v° *Igitur*; S. Liguor., lib. 3, n° 485.
2. S. Liguor., *ibid.*, n° 479 ; et Sættler, ap. Rousselot, p. 33.
3. S. Liguor., *ibid.*, n° 480.
4. Lib. 5, n° 20.

lutione tanquam causa exonerationis; et in hoc sensu loqui videtur S. Thom.[1] sic habens : « Si autem placeat « (pollutio nocturna) ut naturæ exoneratio vel alleviatio, « peccatum non creditur. » — A fortiori non licet pollutionem desiderare, vel de ea gaudere ex affectu venereo.

In ipsismet casibus in quibus, juxta plures, licet desiderare pollutionem vel de ea gaudere, conveniunt patroni hujus sententiæ quod hujusmodi desideria inutilia sint et periculosa : « Si quis, ait Sættler[2], pollutionem etiam « naturalem desiderat aut de habita gaudeat, facillime, ob « validam imaginationem, commoveri possunt partes vene- « reæ, et his incalescentibus subsequi pollutio desiderata « vel delectatio venerea de ea habita...., nisi forte agatur « de pollutione alterius, ut si medicus ægro pollutionem « in somnis naturaliter adventuram desideret, eo quod « hanc ei valde utilem judicet. »

165. Quærit. 5° An et quatenus sit peccatum pollutio quæ non intenditur quidem, nec in se est volita, sed secutura prævidetur ex actione quam quis ponit.

Resp. Jam huic dubio fuisse satisfactum supra (32-37).

166. Quærit. 6°. Quid sentiendum sit de distillatione?

Resp. Vel est excitata directe et data opera, vel indirecte tantum : si prius, nullo modo potest a peccato mortali excusari, juxta S. Liguor.[3], quia quæcumque distillatio, saltem ut plurimum, secum fert aliquam turpem commotionem et aliquantuli seminis effusionem. Si posterius, vel agitur de distillatione quæ cum notabili commotione spirituum, quod semper accidit quando distillatio est in magna quantitate, et talis distillationis causa eadem obligatione est vitanda ac diximus vitandam esse pollutionis causam. Vel quæstio duntaxat est de distillatione in modica quantitate quæ sine delectatione et commotione fit, et tunc sine peccato potest permitti, ut communiter asserunt auctores; quia de tali fluxu non est magis curandum quam de emissione cujuscumque humoris de quo natura se exone-

1. In 4, dist. 9, q. 1, art. 4, ad. 5.
2. Ap. Rousselot, *ib.*, p. 34.
3. Lib. 3, n° 477, in fine.

rare solet, v. g. sudoris. Imo nonnulli à S. Liguorio citati dicunt hoc permitti cum levi carnis commotione, quæ tamen non sit directe volita [1].

167. Quærit. 7° Quomodo agere debeat confessarius cum pœnitentibus peccato pollutionis inquinatis aut ei assuetis?

Resp. Maxime interesse quod sanationi hujusmodi inquinatorum attentè studeat confessarius : aliud sane non est vitium quod tot infelices habeat effectus, et tot animas in infernum depellat. Dicemus ergo quo modo se gerere debeat ad detegendum hunc lethalem morbum ; quo modo in danda absolutione ; et tandem quænam præsertim remedia sint ab ipso tunc præscribenda.

168. 1° *Quomodo se gerere debeat confessarius ad detegendum pollutionis peccatum?*

Nulla est difficultas quoad pœnitentes qui nitide de hujusmodi peccatis se accusant, vel saltem satis se patefaciunt ut confessarius libere possit ulterius procedere in suis interrogationibus. Sed multi sunt, præsertim juvenes et maxime puellæ, qui, sive ob verecundiam sive ob difficultatem turpia peccata exprimendi, altum silentium de iis servant. Munus est ergo confessarii misericordis ac zelo animarum præditi, in auxilium venire hujusmodi infirmis, sed ita prudenter ut eos non scandalizet, et malum, quod forte feliciter ignorant, non edoceat, tamen ita sagaciter ut ad veritatem perveniat : longe autem satius esset, ut monere solent auctores, periculo integritatem confessionis non procurandi se exponere quam animas contaminandi.

Ordinarie, ante pubertatis annos, pœnitentes non sunt interrogandi circa pollutionem : inveniuntur tamen, quamvis raro, mares in quibus malitia prævenit ætatem, et non ita raro adsunt puellæ quæ jam e decennio, imo et a septennio voluptatem carnalem per tactus aut alio medio sibi procurant. Ut hæc ergo detegantur, sic agat confessarius.

Procedat, inquit D. Rousselot, « a minoribus ad majora, « ab universalibus ad particularia, a magis notis ad minus

1. *V.* etiam Sættler, ap. Rousselot, p. 34.

« nota, ab uno plura ab altero pauciora quærendo : v. g. « utrum honesto situ cubent, vestes modeste induant vel « exuant, utrum seipsos nudos aspiciant tangantve, utrum « ab aliis aspici se et tangi passi sint, utrum in eodem « lecto cum fratre, sorore aliave persona extranea dor- « miant, utrum alios viderint turpia exercentes, utrum ex « tactu proprio vel alieno motus inhonestos et delectatio- « nem magnam experti sint; utrum tactus sæpius repetiti « et diuturni fuerint, utrum percepta maxima voluptate « motus a seipsis cessaverint et ipsimet quieverint, etc. « (hoc signo dignosci poterit pollutio apud puellas, sed) « a masculis qui videntur circa præcedentia rei et pollu- « tionis capaces, quæri potest (insuper) utrum aliquid in- « soliti ipsis contigerit, utrum madefacti fuerint, etc. Hæc « omnia caute, prudenter, timide, pedetentim quærat « confessarius ; nec pœnitentes omnes reos esse existimet, « nec pro turpibus habeat quæ sunt contra decentiam « tantum; nec credat omnes mentiri, nec timidæ et imbe- « cillæ ætatis scrupulos confundat cum protervioris adoles- « centiæ delictis, etc. » Proinde si se accusent egisse contra modestiam, vel decentiam, ab iis ulterius inquirat quid præcise egerint quod reputant immodestum vel inde- cens.

Eadem agendi ratio teneri potest et debet erga puberes, quando locus est suspicandi quod malum feliciter igno- rent : nonnulli enim sunt, sive mares, sive præsertim puellæ, qui sub vigilanti parentum custodia, ad annum 20, et quandoque ultra, ab hac turpitudine immunes se custodierunt, nec de ea aliquid audierunt, quamvis non- nullis luxuriæ imperfectæ peccatis se commaculaverint[1].

169. 2° *Quomodo confessarius se gerere debeat quoad absolutionem iis impertiendam qui peccato pollutionis sunt assueti?*

« Distinguendum est, inquit S. Liguor.[2], inter consue- « tudinarium et recidivum : consuetudinarius.., qui (nem-

1. V. D. Rousselot, *ibid*, p. 42 et 43; *Miroir du clergé*, t. 2, p. 252, édit. 1823; RR. DD. Bouvier, *in Sextum*, *de Pollutione*.
2. Libr. 6, n° 459.

« pe) prima vice suum pravum habitum confitetur.., bene « potest absolvi, etiamsi nulla emendatio præcesserit, « modo eam serio proponat..... Recidivus autem..., qui « post confessionem in eadem peccata relapsus est... non « potest absolvi nisi afferat extraordinaria signa disposi- « tionis.... Ratio est quia, ut confessarius possit pœniten- « tem absolvere, debet esse moraliter certus de ejus « dispositione; unde quamvis peccator, prima vice se con- « fitens, censendus sit dispositus, eo quod... nulla ei « obstet præsumptio in contrarium, tamen quando jam « in alia confessione, ipse fuit admonitus et eodem modo « cadit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis « à confessario præscriptis, frequens ille relapsus signum « præbet, vel saltem prudentem dat suspicionem quod sua « pœnitentia non sit vera: qui enim firme proponit.... « rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propo- « siti obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseve- « rat, et difficilius aut rarius cadit [1].

« Dicunt vero Sanch., Laymann.... quod, his non obs- « tantibus, bene poterit absolvi recidivus usque ad tertiam « vel quartam vicem, etiamsi eodem modo relapsus sit et « nullum adhibuerit remedium. Veneror tantorum DD. « auctoritatem, sed ego eorum opinioni nunquam acquies- « cere potui : etenim cum pœnitens jam fuerit in alia « confessione admonitus, et eodem modo reinciderit, nul- « lumque ad se emendandum conatum adhibuerit, eadem « suspicio utique recurrit qua fit ut confessarius non « possit habere de ejus dispositionibus moralem certitudi- « nem, sufficientem respective ad hoc sacramentum [2]. »

170. Diximus, *nisi afferat extraordinaria signa disposi-*

1. Secus ergo esset dicendum si pœnitens post absolutionem, non eodem modo reincideret in peccatum, sed verum conatum ad se emendandum adhiberet, ita ut per certum temporis spatium in gratia perseveraret, v. g. per 20 aut 30 dies.

2. Damnata fuit ab Innocentio XI propositio sequens : « Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem. » Est propositio 60.

tionis, seu contritionis, quia per hujusmodi signa tollitur suspicio de indispositione pœnitentis. Porro per extraordinaria illa signa non intelligitur aliquod ingens et omnino insolitum, sed id tantum quod sufficiat ad convincendum confessarium de sincera pœnitentis voluntate peccato renuntiandi. Quando enim admonitus a suo confessario eodem modo relabitur, *nullo adhibito conatu et nullo impleto ex mediis a confessario præscriptis*, sola ipsius affirmatio quod sincere doleat de suis peccatis non videtur sufficere ad convincendum de eo quod asseritur, sed hæc assertio corroborari debet aliquo alio quod natum sit dissipare justa motiva quæ ipsius agendi ratio præbuit suspicandi de suis dispositionibus, sed hoc à theologis *signum extraordinarium* vocatur [1].

171. Signa autem illa extraordinaria, juxta plures, sunt: 1° dolor patefactus per lacrymas, suspiria, etc., quamvis non semper sit lacrymis fidendum; 2° minor numerus peccatorum licet pœnitens fuerit in iisdem occasionibus aut tentationibus, aut si pœnitens post ultimam confessionem, diu se continuerit, v. g. per viginti aut triginta dies, cum antea assuetus fuerat prolabi pluries in hebdomada. aut si relapsus fuerit post magnum conflictum; 3° studium adhibitum ad se emendandum, si nempe preces.

1. Nobis ergo non videtur admittenda, nisi suppositis signis de quibus hîc loquimur, decisio relata apud *Revue des sciences* (n° 90 tom. 15, p. 542, *Troisième cas*); hæcque decisio, terminis quibus exprimitur, non omnino nobis placet : ex his enim facile induci possent incaute legentes in errorem ab Innoc. XI damnatam in modo præinserta propositione 60. Sic enim se habet decisio de qua loquimur : « *Troisième cas*. Un confesseur ne refuse jamais l'absolution aux pé- « cheurs qui s'adressent à lui, pourvu qu'ils affirment de bon cœur « qu'ils ont la contrition sincère de leurs fautes; il agit de cette ma- « nière et se garde d'élever des doutes sur la réalité de cette con- « trition, par la raison que le pénitent est le meilleur témoin des « dispositions de sa conscience. » Sed etsi pœnitens sit optimus propriarum dispositionum testis, potest tamen, quod non raro contingit, sibi fucum facere; non ergo confessarius, qui, jure divino est judex earumdem dispositionum, tenetur ipsi semper credere, sed ad hoc aliquando indiget alio motivo, ultra ipsius verba, eidem præstandi fidem. De his vide *Revue des sciences*, n° 73, t. 13, p. 19, etc.; n° 74 t. 13, p. 180, etc.; n° 76 t. 13, p. 317, etc.

eleemosynæ, jejunia adhibita fuerint; si spontaneè occasiones evitentur, etc.; 4° spontanea confessio quæ non fiat ex obligatione implendi præceptum paschale; vel ob morem loci in aliquibus festis confitendi; aut ex impulsu parentum, dominorum, etc.; præsertim si ut accederet ad sacrum tribunal pœnitens magnum adhibuit conatum, magnum conflictum internum vel externum est expertus, si longum iter est agressus, si se abstinuit a lucro illius diei, etc.; 5° si accedat ductus aliquo extraordinario motivo, v. gr, concionis auditæ, mortis amici aut parentum, timore pestis, terræ motus, etc.; 6° si confiteatur peccata in præcedentibus confessionibus celata, etc., his et similibus motivis confessarius legitime indui potest ad impertiendam recidivis absolutionem. Vide alia ap. S. Liguorium [1].

172. Potest tamen confessarius absolutionem differre recidivis, qui etiam manifestant extraordinaria contritionis signa; et id quidem quoties prudenter judicat dilationem fore utilem ipsorum emendationi, non vero si magis obfuturam quam profuturam merito reformidaret: « Ut « autem hîc meum proferam judicium, pergit S. Liguor. [2], « dico quod, si pœnitens relapsus sit, ob causam seu fragili- « tatem intrinsecam, ut accidit in peccatis pollutionis, « delectationis morosæ, etc., raro puto differendam esse « absolutionem sufficienter disposito per signum extraor- « dinarium. Et casu quo dilatio videtur expedire, quid- « quid dicant Juenin, etc., verius dicendum absolutionem « non differri deberi plus quam ad octo, vel ad decem « dies.., ad summum usque ad quindecim dies... Dixi 1° si « pœnitens sit relapsus ex causa intrinseca; nam si reinci- « deret ex occasione extrinseca, dico absolutionem « omnino differendam esse usquedum tollatur occasio si sit « voluntaria; si vero necessaria, donec periculum recidendi « ex proximo fiat remotum; et ad hoc ordinarie loquendo « certe non sufficiet dilatio decem vel quindecim... Dixi « 2° raro.. quia in tali pœnitente (qui relapsus est ex intrin-

1. Lib. 6, n° 460.
2. *Ibid.*, n° 463.

« seca fragilitate) magis sperandum profuturam fore gra-
« tiam sacramenti quam dilationem absolutionis. »

173. Dicta supra de absolutione impendenda recidivis in pollutionem qui ostendunt signa doloris extraordinaria, applicanda non sunt initiandis sacris ordinibus : quia non sufficit quod ordinandus sit ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ dispositus, sed oportet ut insuper sit dispositus ad recipiendum ordinis sacramentum, ad quod *non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens*, ut ait S. Thomas [1]. Quid vero requiratur in husjusmodi recidivis ut absolvantur, videri potest ap. S. Liguor. [2].

174. 3° *Quænam remedia sint adhibenda ad sanandos peccato pollutionis assuetos?*

Execrandus masturbationis habitus, si inveteratus sit, inquit RR. DD. Bouvier [3], confessarios in quamdam desperationem conjicit, ac nonnisi difficillime extirpari potest. Inter remedia ad illum eradicandum aptiora, plura indicari possunt, ut frequens oratio, fervens Mariæ invocatio, præsertim urgente tentatione, eleemosynæ, mortificationes, abstinentia a liquoribus et alimentis calidis ac irritantibus, custodia sensuum, prompta turpium cogitationum repulsio, fuga pravarum lectionum, profanorum spectaculorum, et personarum moribus corruptarum ; sed efficacissimum remedium est frequens accessus ad sacramenta. « Vix puto, ait Toletus à S. Liguor. citatus [4], esse « aliud efficax remedium quam frequentissimam confessio- « nem adhibere : est enim hoc sacramentum maximum « frenum ; et qui hoc non utitur non sibi promittat emen- « dationem nisi per miraculum » : hoc imprimis adhibebat S. Philippus Nerius erga recidivos, et expresse commendat ipsummet Rituale romanum, *De sacram. Pœnitentiæ*, ubi ait : *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur, et si expediat, communicent.*

175. Ad deterrendos juvenes ab hoc vitio, utile etiam

1. 3a Pars, supplem. q. 35 ad 3.
2. Lib. 6, n° 63, etc. ; et *Praxis confess.*, n° 78, etc.
3. *In Sextum*, p. 78.
4. Lib. 6, n° 464.

erit confessario legere et ob pœnitentis oculos ponere quæ de eo dicunt Buchan, *Médecine domestique*, t. 2 et 4; Tissot, *De l'onanisme*; Doussin Dubreuil, in duobus opusculis: *Nouveau manuel sur les dangers de l'onanisme*, et *Des égarements secrets de l'onanisme chez les personnes du sexe*. Horum auctorum, inquit Rousselot [1], ultimi præsertim utpote castigatioris, lectionem juvenibus ac puellis valde corruptis identidem non imprudenter consulere poterit.

Horrendos masturbationis effectus sic describit Hyppocrates apud Buchan: « Cette maladie naît de la moelle « épinière: elle attaque les jeunes mariés et les libidineux; « ils n'ont point de fièvre, et quoiqu'ils mangent bien, ils « maigrissent et se consomment; ils croient sentir des four- « mis qui descendent de la tête le long de l'épine. Toutes les « fois qu'ils vont à la selle, ou qu'ils urinent, ils perdent en « abondance une liqueur séminale très-liquide: ils sont « inhabiles à la génération. Ils sont souvent occupés de « l'acte vénérien dans leurs songes. Les promenades sur- « tout dans les routes pénibles les échauffent, les affaiblis- « sent, leur procurent des pesanteurs de tête et des bruits « dans les oreilles; enfin une fièvre aiguë temine leurs « jours. »

Nihil horrorem magis injicere potest quam descriptio status juvenis cujusdam, apud quem D. Tissot vocatus fuit [2]:

« Je fus effrayé moi-même, la première fois que je vis « cet infortuné: je sentis alors plus que je n'avais fait encore « la nécessité de montrer aux jeunes gens toutes les hor- « reurs du précipice dans lequel ils se jettent volontaire- « ment.

« L. D..., horloger, avait été sage et avait joui d'une « bonne santé jusqu'à l'âge de 17 ans. A cette époque il « se livra à la masturbation qu'il réiterait jusqu'à trois fois; « et l'éjaculation était toujours précédée et accompagnée « d'une légère perte de connaissance et d'un mouvement « convulsif dans les muscles extenseurs de la tête qui

1. Ut supra, p. 41.
2. *De l'onanisme*, p. 33.

« la tiraient fortement en arrière, pendant que son cou « se gonflait extraordinairement.

« Il ne s'était pas écoulé un an qu'il commença à sentir « une grande faiblesse après chaque acte; son âme, déjà « toute livrée à ces ordures, n'était plus capable d'autres « idées, et les réitérations de son crime devinrent tous les « jours plus fréquentes jusqu'à ce qu'il se trouvât dans un « état qui fit craindre la mort.

« Sage trop tard, le mal avait fait tant de progrès qu'il « ne pouvait être guéri, et les parties génitales étaient « devenues si irritables et si faibles qu'il n'était plus besoin « d'un nouvel acte de la part de cet infortuné pour faire « épancher la semence. L'irritation la plus légère pro- « curait sur-le-champ une érection parfaite, qui était « même immédiatement suivie d'une évacuation de cette « liqueur : ce qui augmentait journellement sa faiblesse.

« Le spasme qu'il n'éprouvait auparavant que dans le « temps de la consommation de l'acte, et qui cessait en « même temps, était devenu habituel, et l'attaquait souvent « sans aucune cause apparente et d'une façon si violente « que, pendant tout le temps de l'accès, qui durait quelque- « fois quinze heures, et jamais moins de huit, il éprouvait « dans toute la partie postérieure du cou des douleurs si « violentes qu'il poussait ordinairement, non pas des cris, « mais des hurlements, et il lui était impossible, pendant « tout ce temps, d'avaler rien de liquide ou de solide; sa « voix était devenue enrouée; il perdit totalement ses forces. « Obligé de renoncer à sa profession, incapable de tout, « accablé de misère, il languit presque sans secours pen- « dant quelques mois, d'autant plus à plaindre qu'un reste « de mémoire, qui ne tarda pas à s'évanouir, ne servait « qu'à lui rappeler sans cesse les causes de son malheur, « et à l'augmenter de toute l'horreur des remords.

« Ayant appris son état, je me rendis chez lui : je « trouvais moins un être vivant qu'un cadavre gisant sur « la paille, maigre, pâle, sale, répandant une odeur infecte, « presque incapable d'aucun mouvement. Il perdait souvent « par le nez un sang pâle et aqueux ; une bâve lui sortait « continuellement de la bouche. Attaqué de la diarrhée, il

« rendait ses excréments dans son lit sans s'en apercevoir. « Le flux de la semence était continuel ; les yeux, chassieux, « troublés et éteints, n'avaient plus la faculté de se mou- « voir ; le pouls était extrêmement petit, vite et fréquent : « la respiration très-gênée, la maigreur extrême, excepté « aux pieds qui commençaient à être œdemateux.

« Le désordre de l'esprit n'était pas moindre : sans « idées, sans mémoire, incapable de lier deux phrases, « sans réflexion, sans inquiétude sur son sort, sans autre « sentiment que celui de la douleur qui revenait avec tous « les accès, au moins tous les trois jours. Etre bien au- « dessous de la brute, spectacle dont on ne peut concevoir « l'horreur. On avait peine à reconnaître qu'il avait appar- « tenu à l'espèce humaine.... Il mourut au bout de quel- « ques semaines, œdemateux de tout le corps, en juin « 1757. » Vide alia ap. DD. Bouvier, *in Sextum*, p. 71, etc.

II. — De bestialitate.

176. Inter peccata luxuriæ contra naturam gravissimum est bestialitas. In eo enim nec etiam debitum genus servatur. De hoc crimine dicitur in *Levitico* c. 20, v. 15, etc. : *qui cum jumento coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento simul interficiatur cum eo. Sanguis eorum sit super eos.*

Definitur autem bestialitas : *Congressus cum supposito alterius speciei.*

177. Hujus autem peccati species non mutatur ob bestiarum varietatem. An vero mutetur ob sexuum diversitatem, disputatur : communiter tamen veluti probabilius tenetur hanc circumstantiam nullam in genere moris involvere differentiam : quia tota essentialis hujus sceleris difformitas consistit in accessu ad diversam speciem[1].

178. Ut completa sit bestialitas requiritur seminis effusio ex parte patrantis. Dicit Sættler necesse haud esse declarare in confessione an congressus fuerit in alvo aut in alia parte corporis bruti, quippe ad recipiendum semen humanum

1. S. Liguor., libr. 3, nº 474.

nulla est destinata. Attamen casu quo hoc peccatum esset reservatum, Billuart[1] tenet necessariam esse seminationem intra vas bruti, quia reservatio, utpote odiosa, restringi debet ad actum consummatum. Billuart ergo non reputat consummatam bestialitatem nisi fiat intra vas bruti, proinde, saltem ut plurimum, consummari nequit a mulieribus.

179. Probabilius ad bestialitatem requiritur congressus seu concubitus cum bestia : unde solus tactus pudendorum bruti cum propria pollutione sine congressu non esset propriè beatialitas, sicut sodomia non esset tangere puerum aut puellam dormientem aut doli incapacem sine concubitu. Quidam tamen secus sentiunt ap. S. Liguor. [2], qui probabilius reputat sufficere tunc dicere in confessione : *habui pollutionem tactibus alienis:* quia, quando non adest concubitus, non adest affectus ad sexum, sed ad pollutionem.

180. Ad bestialitatem attinet congressus cum dæmone succubo vel incubo. Sed præter bestialitatis malitiam horrendum hoc crimen continet insuper malitiam superstitionis. Necessarium autem non videtur in confessione explicare an succubus vel incubus quis fuerit in tali congressu : « An autem, inquit S. Liguor.[3], qui coit cum « dæmone apparente in forma conjugatæ, monialis, aut « consanguineæ, peccet semper affective peccato adulterii, « sacrilegii, aut incestûs videtur universe affirmare Busem« baum cum aliis (et pariter Billuart, Bouvier, etc.). « Sed valde probabiliter negandum, si concumbens de« lectetur de muliere illa a dæmone repræsentata, non « qua nupta, aut moniali, sed qua pulchra, juxta senten« tiam Lugonis.... et aliorum plurium, qui valde probabi« liter docent quod delectatio morosa non involvat speciem « objecti.... nisi circumstantia personæ intret in delecta« tionem. » — Attamen si dæmon viro appareat sub forma viri, vel mulieri sub mulieris forma, non potest tunc

1. Diss. 6, art. 10.
2. Lib. 3, nº 467.
3. *Ibid.*, nº 475.

non adesse affective malitia sodomiæ de qua in numero sequenti. Si vero sub forma bruti appareat, nihil malitiæ addit, juxta Billuart[1].

181. Quæritur ad quam speciem peccatorum contra naturam pertineat coitus viri cum femina mortua?

Resp. Juxta quosdam, hoc horribile crimen ad bestialitatem est referendum; juxta alios, ad fornicationem; et juxta cæteros, ad pollutionem. Forte, inquit Billuart[2], quoad rem, omnibus illis criminibus talis congressus aliquid participat, sed quoad affectum multiplicatur ipsius malitia secundum varias conditiones quas concumbens apprehendit in cadavere et de quibus delectatur. Juxta vero S. Liguor.[3] *Dicendum cum Holzm., Salmant. etc., communiter non esse fornicationem, quia fit cum cadavere, nec bestialitatem, sed esse pollutionem et fornicationem affectivam.*

III. — De Sodomia.

182. Denominationem accepit hoc crimen ab incolis Sodomæ huic assuetis. Definitur autem à S. Thoma[4]: *concubitus ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel feminæ ad feminam.* Per quæ verba designatur sodomia perfecta, seu in qua nec debitus sexus in coitu servatur, nec debitum vas. « Quæstio vera magna est, inquit « S. Liguor.[5], in quonam actu consistat sodomia : Alii « tenent consistere in concubitu ad indebitum vas ; alii in « concubitu ad indebitum sexum. Utraque sententia est « probabilis, et in utraque sententia cernitur specialis de- « formitas quam habet sodomia contra naturam, quæ re- « quirit utrumque servari ad generationem, id est debitum « vas et debitum sexum. »

183. Sententiam tamen asserentem sodomiam consistere in congressu ad indebitum sexum, idem Sanctus probabiliorem habet, et dicit esse communem inter theologos cum

1. Ut supra.
2. *Ibid.*
3. Libr. 3, nº 466, in fine.
4. 2. 2, q. 154, art. 11.
5. Lib. 3, nº 466.

S. Thoma et aliis pulribus. Exhinc inferendum : 1° esse veram sodomiam in coitu feminæ cum femina. Sed non improbabiliter tenet Ebbel cum Fel..., Pal., hujusmodi concubitum, etiam cum affectu ad vas præposterum non esse nisi sodomiam improprie dictam, cum inter feminas non adsit copula perfecta per penetrationem intra vas.

Inferendum 2° esse veram sodomiam quemcumque concubitum cum persona ejusdem sexus, sive in vase præpostero sive in alia parte : ex quo deducunt Salmantic. etc. contra Graff. necessarium non esse explicare in confessione an pollutio contigerit intra vel extra vas, sed sufficere ut, confitendo, dicatur : *peccavi cum puero.* Sed non ab omnibus admittitur sodomiam esse perfectam, si coitus intra vas non fiat cum pollutione. Imo plures contendunt non incurri in hoc casu pœnas contra sodomiam latas [1], unde videtur esse declaranda hæc circumstantia, et si non acciderit pollutio, hoc etiam debet explicari.

Inferendum 3° coitum in vase præpostero mulieris esse probabiliùs sodomiam solum modo imperfectam, specie a perfecta distinctam; et si vir coierit extra vas, v. gr., inter crura, brachia, aut alias mulieris partes, duo committeret peccata contra castitatem, unum fornicationis in affectu, alterum pollutionis in effectu. Hinc dicunt Sporer, Laymann, etc., ap. S. Liguor., quod confessarius intelligens mulierem cognitam fuisse extra vas naturale, vel præposterum, non amplius quærere debet in quo loco, vel quomodo.

An autem pollutio in ore sit diversæ speciei? Affirmant nonnulli, vocantes hoc peccatum *irrumationem.* Probabilius habet S. Liguor. [2], quod sit pollutio cum inchoata fornicatione si vir polluatur in ore feminæ; si vero polluatur in ore maris, hoc est sodomia proprie dicta.

184. Disputatur an in peccato sodomiæ explicandum sit an quis agens fuerit aut patiens. — Negant Salmantic. eo quod taliter coeuntes, pollui ambo soleant. Verius hoc

1. S. Liguor., lib. 3, n° 471.
2 *Ibid.*, 466.

esse explicandum putat S. Liguor. cum multis aliis[1], quia in agente multo facilius adest pollutio quam in patiente.

185. Certum est specificandum esse in confessione an sodomia fuerit violenter habita, vel fuerit cum persona voto castitatis constricta, vel cum conjugata. — Disputatur vero an sodomia inter consanguineos aut affines induat malitiam incestus : Diana absolute negat: quia, ut ait, ad incestum requiritur coitus in vase debito cum mixtione sanguinis ; at hoc satis non videtur probabile. Quidam alii affirmant si agatur de primo et secundo gradu, quia coitus inter gradus hujusmodi prohibetur jure naturali: secus de aliis gradibus, quia in iis coitus prohibetur tantum jure positivo, in ordine ad matrimonium. Adest insuper tertia sententia, quam S. Liguor. dicit probabiliorem, tenens omnem coitum sive naturalem, sive innaturalem inter propinquos aut affines, tam naturales quam legales, aut spirituales induere malitiam incestus, quia vi legis ecclesiasticæ his omnibus debetur reverentia, quæ deturpatur coitu naturali, ut certum habetur, et a fortiori coitu innaturali. Imo dicunt Salmantic. incestum committere qui polluitur tactibus alicujus conjuncti in quarto gradu [2].

186. Quoad pœnas contra reos sodomiæ latas, lege civili olim morti et flammis addicebantur, prout etiam bestialitatis rei [3]. Jure autem canonico, per Bullam S. Pii V, clerici, tam sæculares quam regulares, hoc scelus *exercentes omni privilegio clericali*, *officio*, *beneficio*, *dignitate*, *præsentis canonis auctoritate* (sunt verba Bullæ) *privantur;* et insuper jubet Pontifex ut iidem tradantur sæculari potestati. — An hujusmodi pœnas incurrant clerici bestialitatem exercentes ? — Affirmant quidam auctores, sed negativa sententia est tenenda, juxta S. Liguor., quia in lege pœnali, argumentum *a pari* non admittitur, et de casu ad casum pœnæ non sunt extendendæ [4].

187. Ut vero incurrantur præfatæ pœnæ, sodomia debet

1. *Ibid.*, nº 468.
2. S. Liguor., lib. 3, nº 469; et supra, nº 105.
3. Ferraris, vº *Luxuria*, nis 60 et 69.
4. S. Liguor., *ibid.*, nº 473.

esse : 1° *consummata* per pollutionem intra vas ; 2° *inter mares*, cum aliter sodomia non sit perfecta (si tamen, pœnæ, v. g. reservatio, essent latæ in peccatum luxuriæ contra naturam, istæ incurrerentur etiam in casu sodomiæ cum muliere ; sicut de se incurrerentur in casu simplicis pollutionis, quamvis Salmantic. dicant quod Episcopi non intendant ordinarie hunc casum sibi reservare, et revera hoc non videtur unquam expedire) ; 3° *esse frequens* : hoc enim importat verbum *exercentes*, unde excusatur qui semel vel bis peccaret [1].

188. Controvertitur an hujusmodi pœnas incurrant clerici sodomiam patientes. Negant aliqui eo quod verbum *exercentes* videatur tantum actionem, non vero passionem exprimere : probabilius habet S. Liguor., cum aliis pluribus, etiam patientes esse veros sodomitas et prædictas pœnas incurrere, eodem modo ac mulieres non excusantur a pœnis contra adulteros latis.

189. Iterum controvertitur an præfatæ pœnæ ante sententiam incurrentur. — Plures affirmant eo quod in sua Bulla Pontifex dicat : *præsentis canonis auctoritate privamus*. Verior tamen et communior sententia negat, juxta S. Liguor. [2], quia nulla pœna aliquo jure acquisito privans incurritur ante sententiam, etsi in lege dicatur, *nulla expectata sententia judicis :* quia hoc est intelligendum de sententia condemnatoria : proinde expectari potest sententia criminis declaratoria , quippe secus nimia videretur lex quâ quis per seipsum teneretur pœnas exequi ante omnem sententiam. Ita communiter Doctores, juxta Ferraris [3]. Vide etiam Billuart [4].

IV. — Peccata luxuriæ in quibus generatio impeditur.

190. Inter hujusmodi peccata ea recensentur in quibus, servato debito sexu, non servatur modus naturalis concumbendi, ita ut generatio impediatur ; et hoc duplici modo

1. S. Lig., *ib.*, n° 471.
2. *Ibid.*, n° 472.
3. *Ibid.*, n° 62, etc.
4. Dissert. 6, art. 10.

contingere potest : 1° defectu instrumenti naturalis, ut si vir coeat in vase præpostero : de quo satis diximus in præcedenti numero; 2° defectu situs naturalis, ut si mulier supergrediatur virum, aut vir eam cognoscat averse in vase naturali, ita ut generatio impediatur, semine non retento intra vas. Sed cum hoc non semper contingat, hoc peccatum inter conjuges non est semper reputandum mortale. De eo dicturi sumus infra, loquendo de impudicitiis inter conjuges, ubi etiam dicturi sumus de onanismo [1].

§ II.

De peccatis luxuriæ non consummatæ.

191. Illa peccata sunt interna vel externa. De singulis utriusque speciei est disserendum.

PUNCTUM I.

DE PECCATIS INTERNIS LUXURIÆ.

192. Talia sunt desiderium, gaudium et delectatio morosa de rebus obscœnis. « Desiderium, inquit S. Liguor. [2], « est voluntatis actus tempus futurum respiciens, quo quis « deliberate intendit opus cogitatum, puta fornicationem « consummare; et hoc desiderium dicitur *efficax*, quando « quis media suscipit ad ducendum illud ad effectum; *in-« efficax* vero, si non proponit exsequi, sed consentit quod « exequeretur si posset. Econtrario *gaudium* respicit præ-« teritum, et est cum quis sibi complacet de malo opere « patrato. *Delectatio morosa* denique respicit præsens « tempus, et est quando per imaginationem fantasiæ, quis « reddit sibi præsens opus peccati, nempe actum forni-« cationis, et de illo deliberato consensu delectatur, tan-« quam actualiter fornicaretur, sine tamen desiderio exe-« quendi. »

Delectatio morosa nomen suum accepit, non a mora

1. Billuart, Dissert. 6, art. 9, Dico 1°.
2. Libr. 5, n° 15.

temporis, sed a mora voluntatis, quæ deliberate adhæret objecto cogitato, ad quod unicum instans potest esse sufficiens.

193. Delectatio est vel de opere malo, ita ut malum opus sit objectum delectationis, vel de ipsa cogitatione objecti mali, prout fit in eo qui hujusmodi materiis, ad prædicandum, ad docendum, aut ad animas in sacro tribunali dirigendas, studet; vel denique non de ipso malo, sed de modo curioso, risibili, mirabili quo malum contigit; vel de bono effectu inde secuto, v. g. exoneratione naturæ, cessatione rebellionis carnalis, etc.

194. Quærit. 1° An desiderium omnes actus externi malitias induat?

Resp. Vel desiderium est absolutum, et tunc, juxta sententiam communem, eamdem malitiam habet mortalem aut venialem quam habet actus exterior in quem ipsum fertur, quippe actus exterior est tunc objectum desiderii. Si vero desiderium sit conditionale, iterum est distinguendum : aut conditio aufert objecti malitiam, v. gr., si dicerem : *ederem carnes in die vetito, si Ecclesia non prohiberet*; vel : *bona proximi raperem, si Deus permitteret* : vel, *uxorem ducerem, si sacerdos non essem* : in hujusmodi desideriis, non adesset grave peccatum, juxta sententiam communem [1], quamvis ordinarie non sint immunia a veniali, eo quod sint periculosa, otiosa et nonnisi fatuæ ac diabolicæ tentationes, ut auctores loquuntur. Aut conditio non tollit malitiam objecti, si nempe dicerem : *fornicarer, si non esset infernus vel non essem religiosus; inimicum occiderem, si haberem ensem*, etc. ; et tunc omnes ut certum tenent conditionem non impedire quominus similia desideria habeant totam malitiam exterioris objecti. Et idem est dicendum quando malitia sejungi nequit ab objecto, ut in sequentibus casibus : *si non esset peccatum, vellem blasphemare, pejerare, mœchari, fornicari*, etc... Attamen, ut sat probabilem habet S. Liguor. sententiam Bonacinæ et plurium aliorum dicentium quod cum voluntas aliquod objectum

1. S. Liguor., lib. 5, n° 13.

malum desiderat sub conditione impossibili *si liceret*, nunquam efficaciter in illud consentit, neque vere desiderat, talia proferens, sed duntaxat suam propensionem ostendit. Aliud autem esset, pergit idem, si quis optaret malum illud objectum non esse prohibitum, quia per se malum est velle inverti ordinem : sicut est gravius, inquit Billuart [1], velle regem e suo principatu dejicere quam ejus præceptum transgredi.

195. Quærit. 2° An gaudium vel delectatio de objecto malo sit illicitum aut illicita, etiam casu quo consensus iis datur solummodo conditionate?

Resp. Certum est gaudium absolutum de opere a se patrato retinere omnes malitias in eodem opere contentas ; unde, si quis sibi complacet de copula habita cum muliere, debet explicare qualitatem hujus mulieris, et item si quis se jactet de peccato a se commisso, explicare debet in confessione omnes circumstantias speciem peccati mutantes, quia in jactantia inveniri solet de illis complacentia [2].

Deveniendo nunc ad quæstionem propositam, dicimus quosdam negare, supposito quod gaudium vel delectatio sit sub conditione, *si liceret*, ac sit tantum secundum voluntatem seu appetitum rationalem, secluso omni periculo consensus illiciti et turpis motus (quod raro et vix in praxi abesse potest), et non secundum appetitum sensitivum, qui communiter fit cum aliqua corporis alteratione. Et ratio est quia, licet appetitus sensitivus feratur in objectum absque abstractione, aliter res se habet de voluntate seu de appetitu rationali : voluntas enim ferri potest in objectum abstractum a sua malitia, cum sequatur intellectum cujus est posse abstrahere. Verius tamen putat S. Liguor. [3], omnem delectationem de objecto hîc et nunc intrinsece malo, etiam semota appetitus sensitivi delectatione, esse per se illicitam, quia, licet consensus sit conditionatus respectu ad objectum, respectu tamen ad delectationem est absolu-

1. De *Temper.*, Diss. 6, art. 5, § 4.
2. S. Lguor., *Homo apostolicus*, t. I, tr. 3, n° 48.
3. Lib. 5, n° 14.

tus, cum delectatio reddat objectum præsens, et objectum non sit revera sejunctum a sua malitia. Secus vero dicendum esset, addit ipsemet, *si quis diceret se delectari de hoc si non esset malum*, cum in hoc casu removetur delectatio ne malum committatur.

Exhinc S. Liguorius [1] concludit : « Verius dicendum « quamcumque delectationem voluntatis in sponsis et « viduis de copula futura vel præterita esse malum..., quia « delectatio reddit sibi objectum præsens ; et ideo semper « ac objectum præsens hîc et nunc est malum, cum absit « hîc et nunc conditio cohonestans matrimonii, mala « etiam est omnis actualis delectatio de illo [2], aliud dicen- « dum de desiderio quo sponsus vult copulam futuram : « hoc enim licet, quia cum voluntas fertur in objectum « futurum potest illud desiderare sub conditione qua ob- « jectum licitum erit. At quia in tali desiderio adest etiam « periculum delectationis, idcirco hortandi sunt sponsi « ut sedulò a se avertant hujusmodi turpes cogitationes. »

196. Quærit. 2° An delectatio in materia turpi sit semper peccatum mortale?

Resp. 1° Certe peccatum mortale est delectatio voluntaria, seu morosa de re turpi, quatenus est turpis, juxta verba libri Sapientiæ, c. 1, v. 3 : *perversæ cogitationes separant a Deo.*

2° Si vero delectatio sit tantum de cogitatione objecti turpis non est peccatum casu quo mens de his utiliter occupatur, v. gr. in ordine ad docendum, ad concionandum, etc. Nam sicut bonum est de his cogitare, sic etiam bonum delectari hujusmodi cogitatione. Si vero de his cogitaretur ex mera curiositate, adesset peccatum, sed tantum veniale modo non esset periculum ulterius malo consentiendi. Ita S. Thomas [3].

1. *Ibid.*, n° 24.

2. Res aliter se habet inter conjuges, et probabile est eos posse, absque saltem peccato mortali, delectari etiam carnaliter de copula in absentia compartis, modo absit periculum pollutionis ; quia status matrimonii hæc cohonestat et licita reddit. Ita S. Liguor. contra Salmantic. et alios quosdam (Lib. 5, n° 25).

3. 1, 2, q. 74, art. 8.

3° Similiter de se peccatum non est delectari, non de opere malo, sed duntaxat de modo quo peccatum fuit commissum, quatenus delectant fabulæ, comœdiæ, homicidia, furta, lapsus ex equo, etc; sed in materia turpi hoc sine periculo fieri non solet.

4° Licitum est gaudere et delectari morose de effectu bono secuto ex malo opere, v. gr., de exoneratione obtenta ex pollutione: quia tunc delectatio non est de objecto malo; sed pariter est monendum quod hoc non careat periculo.

197. Quæri autem potest an liceat delectari de opere malo a se patrato ob bonum effectum inde secutum? — Negative est omnino respondendum, juxta S. Liguor.[1], quando opus est formaliter malum, licet quis delectaretur de opere malo, non ut peccato, sed ut causa effectus secuti. Et verius, juxta eumdem, etiam casu quo opus malum fuisset patratum sine peccato, non esset licitum de illo delectari: nec in se, nec ut causa effectus boni secuti, quia actio, etsi non peccaminosa, est tamen objective mala. Et constat damnatione propositionis sequentis ab Innocentio XI: 15ª *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecuturas.*

Nec objici valet quod in Sabbato Sancto, præconio *Exultet*, Ecclesia gaudeat de culpa Adami ob beneficium redemptionis inde secutum. Nam non de Adami præcise culpa Ecclesia gaudet, sed quod ejus culpa fuit occasio nostræ redemptionis. In quo præterea est observandum, quando agitur de peccato ab aliis patrato, facilius contingere quod de eo liceat sic lætari ob bonum insigne inde proveniens; unde nemo se existimat peccare, si, audito quod frater in crimen probrosum misere lapsus, et salubri ob ipsum verecundia suffusus, sumit inde occasionem ad Deum revertendi, et novam vitam inchoandi, suum gaudium ostendat his verbis: *Felix culpa quæ tantæ salutis occasio fuit!*

Dicit quidem S. Thomas[2]: *Si autem placeat* (nocturna

1. Lib. 5, n° 20.
2. In 4, dist. 9, q. 1, art. 4, ad 5.

pollutio) *ut naturæ exoneratio.. peccatum non creditur;* sed pollutio de qua hîc agitur non est objective mala, cum sit mere naturalis et à natura se exonerante tantum procedat; unde licet de ea gaudere ut causa, non delectationis carnalis, sed alleviationis ob illam obtentæ. Non liceret autem sic gaudere de pollutione nocturna proveniente ex tactu vel turpi somno, quamvis, juxta Salmanticenses, hoc liceret si procederet ex moderato cibo, aut ex studio utili, modo absit commotio spirituum ; sed hoc non placet S. Liguorio [1].

198. Quærit. 4° An delectatio morosa induat omnes objecti externi malitias?

Resp. Certe induit omnes operis repræsentati malitias de quibus est delectatio : unde si quis delectetur de coitu cum conjugata quatenus est conjugata, vel cum moniali aut consanguinea quatenus est monialis aut consanguinea, peccatum adulterii, aut sacrilegii, aut incestus committit. De his locus dubitandi esse non videtur. Item certum habetur adesse sodomiæ aut bestialitatis malitiam, si quis delectatur de copula sodomitica, aut cum bestia, et contra votum peccare si delectetur persona voto castitatis ligata, etc.

Sed quid dicendum si quis delectetur de copula cum nupta, aut consanguinea, aut moniali, non qua nupta, aut consanguinea, aut moniali, sed tantum qua pulchra, sine desiderio opus exterius exequendi? habetne tunc delectatio adulterii, aut incestus, aut sacrilegii malitias? — Duplex est sententia : alia affirmans et alia negans ; utriusque momenta exponuntur à Billuart [2] qui probabiliorem habet sententiam negantem, quam pariter valde probabilem dicit S. Liguor. [3], quia in his casibus circumstantiæ sive mulieris nuptæ, sive consanguineæ, sive monialis non intrant in delectationem, nec proinde volitæ sunt et in peccatum imputandæ; et velut probabile item habet quod idem sit dicendum de aspectu ; observat tamen quod, licet ratione delectationis non sit obligatio explicandi circum-

1 *Ibidem.*
2. *De temperantia*, diss. 6, art. 15, § 3.
3. Libr. 5, n° 15,

stantias adulterii, incestus, etc., hæ nihilominus in praxi sunt explicandæ ratione periculi proximi concupiscendi saltem inefficaciter hujusmodi mulieres. Vide *Homo apostolicus*, t. 1, tract. 3, nº 48.

199. Quærit. 5º An et quatenus sit peccatum non reprimere delectationem ?

Resp. Certum et de fide est pravos sensualitatis sensus, sine ullo voluntatis consensu, non esse lethales. Constat ex Trident., sess. 5, *De peccato originali*. Imo certum videtur, ex eodem concilio, nec veniales esse. Attamen circa propositam quæstionem triplex est sententia : *Prima* affirmat esse mortale non reprimere motus appetitus sensitivi, etiam cessante periculo consensus, quia quisque tenetur iis resistere. *Secunda* econtra negat tunc adesse ullum etiam veniale peccatum, remoto periculo consensus ; sed juxta sententiam communem, hæc opinio merito saltem in praxi est rejcienda. *Tertia* et vera sententia docet cum S. Thoma [1] esse tantum veniale non resistere positive motibus illicitis, cessante periculo consensus. « Ratio est, « inquit S. Liguor. [2], tum quia consensus ad graviter « peccandum non provenit ex appetitu, sed ex voluntate, « quæ cum non positive consentit, non committitur mor- « tale : et ideo committitur veniale, in quantum homo cavere « debet ne appetitus trahat post se voluntatem ; sed hæc « obligatio, quando periculum consensus non est proxi- « mum, est tantum levis ; tum quia, si sub gravi teneremur « omnes motus inordinatos positive repellere, teneremur « ad impossibile.. »

Deinde (nº 7) idem Sanctus addit : « Tamen quando « delectatio venerea supervenit, tenemur sub gravi ei « positive resistere ; quia hujusmodi commotiones, quando « sunt vehementes, plerumque, si positive non repellantur « (saltem per actum simplicis displicentiæ), trahunt secum « consensum voluntatis. Ita Croix, etc., cum com- « muni DD. »

1. Q. 15, art. 4, ad 10. Qui tamen videtur contrarium tenere, 1, 2, 9., 74, art. 6, circa quod vide Billuart,, diss. 6, art. 15, § 2.
2. *Ibid.*, nº 6.

200. Porro, juxta eumdem (nº 8), ad repellendas tentationes carnales *quoad sensum*, valde prodest partes commotas vestibus tegere ac comprimere : *quoad mentem verò a consensu præservandum*, prodest sane cogitatio de Passione J. C., de pœnis inferni, de morte, etc.., sed præsertim juvant orationes, juxta verba Sap., c. 8, v. 21. *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det...*, *adii Dominum*, *et deprecatus sum*; et maxime fervens actus amoris erga Deum et propositum mortem potius subeundi quam peccandi. Prodest etiam mentem ad alia objecta quæ maxime officiunt divertere.

Non est tamen obligatio motibus carnalibus positive resistendi, si justa adsit non repellendi causa, nempe si quis expertus sit resistendo magis motus excitari, vel si ipsi procedant ex actione necessaria vel utili : sat est tunc negative se habere cum firmo proposito nunquam consentiendi; venialis tamen culpa erit si resistentia sit tepida. « Verum Croix, etc..., ut certum supponit quod..., quando « tentatio diu durat, et nimis molestum foret jugiter motus « positive repellere, nullum peccatum sit eos permittere, « negative se habendo, et sic facere consulit. Tourn... his « qui sunt timoratæ conscientiæ [1]. »

PUNCTUM II.

DE EXTERNIS PECCATIS LUXURIÆ NON CONSUMMATÆ.

201. Inter hujusmodi peccata recensentur aspectus impudici, oscula, tactus, verba obscœna, spectacula inhonesta, saltationes et ornatus mulierum.

I. — De aspectibus impudicis.

202. Aspectus quicumque, etiam in se honesti, sed ex prava intentione, sunt certe peccata mortalia.

Quidquid dicant Cajet. et Navarr., aspectus pudendorum

1. S. Liguor., *ibid.*, nº 9.

personæ alterius sexus [1], aut concubitùs humani haberi debet ut mortale, nisi fieret e longinquo et brevissimo tempore, aut propter necessitatem, v. g. ad medendum; quia talis aspectus valde ad luxuriam provocat; et hoc tenendum putat S. Liguor., contra Salmantic. et Billuart [2], etiamsi abesset periculum commotionis ratione ætatis puerilis aut senilis vel frigidæ complexionis, ob periculum concupiscendi.

Aspectus autem pudendorum inter personas ejusdem sexus, ex curiositate vel levitate, ut contingit inter natantes vel aliquando inter impuberes, non esset mortale, absente affectu libidinoso, aut periculo gravi libidinis, quod in valde ad sodomiam propenso supponi nequit. Sed difficulter a S. Liguor. excusaretur a mortali quicumque deliberate aspiciens pulchrum adolescentem nudum [3].

Verius putat idem cum Croix, contra Salmantic. etc, quod non sit explicanda in confessione qualitas personæ turpiter aspectæ, nisi simul adesset pravum desiderium, ut puta quod sit Deo sacrata, consanguinea, nupta : quia hujusmodi qualitates non sunt objecta visionis peccaminosæ.

S. Antoninus et plures alii dicunt esse quidem licitum per se aspicere partes honestas personæ pulchræ alterius sexus, sicut licet aspicere quascumque res pulchras; in praxi tamen S. Liguorius credit hoc raro excusari a veniali nisi fiat ex urbanitate aut alia justa causa, et ipsimet auctores præfati a veniali non excusant si diuturnus esset aspectus : imo nec a mortali si proximum esset periculum turpis concupiscentiæ, vel morosæ delectationis, quæ, juxta S. Liguor., *procul dubio aderit*, *quando in aspiciendo adest commotio spirituum,* aut si quis *inordinato amore* erga hanc mulierem aspectam afficiatur [4].

1. RR. DD. Bouvier excusat nutrices à mortali, si infantes aspiciant, etiam extra casum necessitatis, sine prava intentione aut mora, sed incaute, aut ex levitate. (Vide *In sextum*, c. 4, art. 2, § 3.)
2. Dissert. 6, art. 16, *Colliges* 9°.
3. Lib. 3, n° 421. Billuart censet mortaliter peccare parentes et magistratus qui non impediunt aut non prohibent natare in locis publicis, in quibus natantes cerni possunt a personis diversi sexus. (*Ibid.*, v° *Nota hic.*)
4. S. Liguor., lib. 3, n° 422.

Aspicere autem partes minus honestas, etsi non turpes, ut pectus, brachia, crura, secluso periculo lapsus, de se non est mortale, modo aspectus non sit diuturnus, sed facile hoc esset mortale in aspiciente valde ad venerem proclivi [1].

203. Aspicere picturas obscœnas ex curiositate, seclusa delectatione turpi aut ipsius periculo, non est pariter de se mortale, sed in praxi vir morose aspiciens pudenda mulieris depicta, difficulter excusari potest a mortali, juxta S. Liguor., ob periculum proximum incidendi in turpem delectationem, nisi brevis esset aspectus et fieret a longinquo [2].

Graviter peccant pingentes et publice exponentes imagines detectis pudendis aut tenui velo coopertis; secus si detectis tantum aliis partibus. Ita S. Liguor. [3], qui idem dicit in *Homo apostolicus* [4], de iis qui has imagines omnium aspectui expositas domi retinent. — An autem peccatum sit pingere angelos vel pueros omnino nudos, prout fit sæpe in imaginibus quæ in Ecclesiis appenduntur, negat Billuart [5].

204. Mortale habendus est propriorum genitalium aspectus si fiat studiose et morose absque necessitate, secus si breviter. Aspectus vero genitalium animalium, nisi ex malo fine fiat, non est mortale : sed valde periculosum est morose aspicere illorum commixtionem : excusantur tamen conjungentes equos et similes ad procreandam prolem, modo absit animus libidinosus [6].

II. — De osculis, amplexibus et tactibus inhonestis.

205. « Extra matrimonium, inquit S. Liguor. [7], morta-
« les sunt omnes tactus, oscula et amplexus ob delecta-

1. S. Lig. *ibid.*, n° 423.
2. S. Lig. *ibid.*, n° 424.
3. *Ibid.* lib. 2, n° 52.
4. Tract. 9, punct. 1, n° 8.
5. Ut supra, *Colliges* 14°.
6. S. Liguor., lib. 3, n° 419; et *Homo apostolicus*, tr. 9, punct. 1,
7. *Homo apostol.*, tr. 9, punct. 1, n° 3.

« tionem carnalem exerciti. » Constat ex damnatione propos. 40 ab Alexandro VII, quæ dicebat : *Est probabilis opinio quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis.* Hujusmodi actus sunt ejusdem naturæ et easdem malitias habent ac actus consummatus (105), unde explicari debet in confessione an sint cum eodem vel diverso sensu, an cum conjugata, consanguinea, affini, aut Deo sacra [1].

206. « Oscula autem, amplexus, compressiones manuum « et similia non obscœna, si fiant tantum officii aut « moris patrii, aut moris honesti vel benevolentiæ au- « gendæ causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur « (modo in eam non consentiatur), non sunt peccata.... « Ita communiter [2]. » — Si tamen oscula, etsi ex more patriæ, habeantur cum mora vel ardore, vel, si in ore, lingua excipiantur more columbino, ordinarie sunt mortalia, juxta S. Liguor., qui observat cum Sanchez esse ordinarie duntaxat veniale osculari valde pueros, etiam cum sensibili delectatione, quia ordinarie nonnisi naturalis est hujusmodi delectatio.

Si oscula et alii præfati tactus in partibus honestis fiant ex veniali vanitate, curiositate, levitate, petulantia, dummodo non cum delectatione venerea aut sensibili, culpa erit tantum venialis; secus, si adesset carnalis aut etiam sensualis delectatio [3]. Hujusmodi tactus etiam pudendorum ut lethales saltem non habentur quando jocose habentur inter pueros, eo quod deficere soleat tunc animus libidonosus. (Sanchez, lib. 9., disp. 46, n° 12 ; Mgr Bouvier, *in Sextum*, p. 92.)

207. Tangere vero propria verenda ex levitate aut curiositate, modo obiter et non repetitis vicibus, per se non erit mortale. Intellige modo absit turpis delectatio aut ejus periculum, et id fiat absque spirituum commotione [4]. Si ex

1. S. Liguor., lib. 3, n° 417.
2. S. Liguor., *ibid.*, oscula, amplexus supponuntur in partibus honestis, facie nempe vel manibus.
3. S. Liguor., *ib.*, nis 416, 418.
4. S. Liguor., *ib.*, n° 419.

causa tangantur, v. g. ad mundandos sordes, ad sedandum pruritum, etc., nullum est peccatum, absente turpi delectatione, vel si ipsi non consentiatur.

Non excusatur a mortali tangens sine necessitate pudenda nuda alterius, etiam ejusdem sexus, nisi fieret leviter per breve tempus et non ex proposito; imo Croix cum Sanchez hoc a mortali non excusat in tangente supra vestes, nisi fieret ex quadam petulantia vel cum levi delectatione non carnali : « Et id merito Salmanticenses, ait « S. Liguor.[1] practice etiam damnant de mortali, si ita « tangantur pudenda diversi sexus etiamsi per transennam, « quia valde periculosum est. Croix autem... probabiliter « excusat a mortali ancillas tangentes pudenda puerorum « dum illos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delecta- « tione hoc agant. »

Diximus *sine necessitate*, quia ob necessitatem excusantur medici tangentes pudenda, etiam diversi sexus, esto per accidens accedat pollutio modo ei non consentiatur. Hoc speculative est verum, inquit S. Liguor.; sed utinam jugiter medici in hoc non peccarent[2].

208. De tactibus autem partium, non quidem turpium, sed minus honestarum, ut pectoris, crurium, etc., ratiocinandum est sicut de earumdem aspectu (202); facilius tamen in hoc culpa mortalis esse potest, quia tactus magis ad libidinem provocat quam visus. Juvenis vero qui puellam super genua sua trahit, ibique sedentem tenet, vel eam in se comprimit, ordinarie saltem mortaliter peccat, prout etiam mulier ultro hæc patiens [3].

209. « Tangere genitalia brutorum, per se non est le- « thale, sed tactum hujusmodi usque ad pollutionem « merito Bonac...., etc., contra aliquos non excusat a « mortali, cum sit actio valde incitans ad venerem » [4]; non ob seminis bruti deperditionem tamen mortale reputatur, sed quia talis actio ad libidinem provocat [5].

1. *Ibid.*, n° 420.
2. *Ibid.*
3. RR. DD. Bouvier, *In sextum*, etc., p. 92.
4. *Homo apostolicus*, tr. 9, punct. 1, n° 3.
5. RR. Bouvier, *ibid.*, p. 92.

210. Sanchez, Salmanticenses, aliique tenent oscula et tactus pudicos, etsi fiant ad captandam voluptatem cum delectatione carnali et commotione spirituum, modo non sit magna, et absit pollutionis periculum aut consensus in copulam, esse, inter sponsos, solummodo venialia, quia hujusmodi actus cohonestantur per sponsalia sicut copula per matrimonium ; et eo magis, inquiunt, quia his fovetur amor ad matrimonium contrahendum : imo Salmanticenses hoc etiam a veniali excusant, stante justa causa : v. g. ostendendi amorem, captandi benevolentiam, effugiendi inurbanitatem, vel servandi morem patriæ. Juxta S. Liguor. tamen [1] qui sibi consentientes multos alios citat, longe probabilius est, et omnino tenendum hujusmodi actus non magis esse licitos inter sponsos, quam inter cæteros solutos; quia sponsi nondum acquisierunt jus in alterius corpus, et sicut ipsis illicita est copula, ita et actus qui ad illam disponunt aut illius periculum provocant, sunt illiciti. Oscula tamen et amplexus juxta morem patriæ ipsis licent, modo non sint pressa et ad aliquod tempus pertracta, ad benevolentiæ ostensionem, quod tamen non admittit S. Liguor., nisi ubi talis usus viget. Nec practice probabilem habet sententiam Busembaum et aliorum quorumdam dicentium sponsis licere tactus pudicos qui duntaxat fiunt ad delectationem capiendam, si hæc sit solum sensitiva non vero venerea, ob periculum semper huic inhærens non sistendi tunc delectationi sensitivæ sed mox in veneream labendi. Videri potest circa hanc quæstionem P. Ballerini, nº 414, P. Gury.

III. — De turpiloquio, cantilenis inhonestis, lectione obscœnorum et spectaculis.

211. 1º De se non est malum verba turpia proferre aut audire, sed moralitas prolationis aut auditionis hujusmodi verborum ex bono aut malo fine quo id fiat est dimetienda.

Loqui turpia ob vanum solatium sive jocum de se non

1. Lib. 6, nº 854.

est mortale, nisi id fieret cum scandalo pusillorum, aut nisi verba essent nimis lasciva; et idem est dicendum de audientibus: unde turpia dicteria quæ ab agricolis, mulionibus proferuntur, mortalia ordinarie non sunt reputanda, quia ludicre tantum dicuntur et audiuntur [1]. — Recte tamen advertit S. Anton. quod audiens turpia cum delectatione deliberata illius turpitudinis non videtur posse excusari a gravi culpa, nisi forte hæc fierent inter conjugatos, et a fortiori idem est dicendum de hujusmodi verba proferente cum tali delectatione, vel cum gravi periculo in eam prolabendi, aut gravis scandali, quod frequenter accidit quando talia coram juvenibus dicuntur aut puellis. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, inquit S. Paulus [2]. Unde nominare pudenda, aut modum copulandi non excusatur a mortali, imprimis si id fiat coram adolescentibus, aut puellis honestis. Nominare pudenda sui sexus coram aliis sexus ejusdem non habetur communiter ut grave peccatum juxta S. Liguor. [3].

Notat RR. DD. Bouvier [4] non facile esse pronuntiandum mortaliter peccare eos qui turpiloquia, etiam mortalia ex parte loquentis audientes, parum derident; fieri enim potest quod de modo potiusquam de rebus ipsis rideant. Excipe nisi in hoc grave scandalum præberent, quod maxime contingeret si tales audientes essent religiosi, clerici, vel etiam si ab aliis eximiæ virtutis haberentur.

212. Honeste colloqui cum mulieribus, etiam juvenibus, non est de se peccatum, sed ratione periculi, potest peccari, etiam graviter, maxime in conversatione diuturna [5]. In hoc sibi multum attendere debent juniores confessarii, inquit RR. DD. Bouvier [6]; puellas ac juvenes mulieres non visitent, nec apud se retineant aut cum eis familiariter

1. S. Liguor., *ibid.*, n° 426.
2. 1 Cor. c. 15, v. 33.
3. Lib. 3, n° 426.
4. *Dissert. in sext.*, p. 102; Sættler, c. 1, art. 2; Bill., Diss. 6, art. 16, *versus finem*; Sanchez, lib. 9, Diss. 46, n° 37.
5. S. Liguor., *ibid.*
6. *Ibidem.*

agant, in cubiculum suum aut locum secretum eas non introducant.

213. Mortaliter etiam peccant se jactantes de turpibus, non solum propter scandalum audientium, sed facillime ob complacentiam ; unde species peccati de quo quis se jactat, in confessione est declaranda [1].

214. 2° Quod modo dictum fuit de verbis turpibus, est pariter dicendum de componentibus vel cantantibus turpes cantilenas : peccant venialiter vel mortaliter, prout cantilenæ leviter an graviter sunt turpes ; sed certe lethaliter peccant quoties grave scandalum præbent : ut, v. g., si clericus conficeret et vulgaret carmina solum æquivoca, aut coram aliis, præsertim secularibus, cantaret [2].

215. 3° Quoad lectionem librorum turpia referentium, si fiat ex libidine, aut cum gravi periculo se de iis turpiter et voluntarie delectandi, aut cum aliorum gravi scandalo, quod facile contingit quando libri sunt multum turpes, certe est lethale peccatum. Si vero ex sola curiositate, sine turpi delectatione et proximo ejus periculo, veniale duntaxat erit peccatum : sic absque culpa gravi leguntur interdum multæ tragœdiæ, aliaque poemata valde ad libidinem non excitantia : sed, sedulo, quantum valent, confessarii ab hujusmodi lectionibus et libris, vulgo *romans* dictis, removeant, præsertim juvenes qui in iis non satis lugendam animæ suæ ruinam invenire solent.

216. Legere autem libros obscœnos, justam ob causam, v. g. ad stylum efformandum et perficiendum, ad discendam historiæ veritatem, ad superiores informandos, ad corrigendos mores, etc., nullum est peccatum, modo turpibus non assentiatur : raro tamen clerici utiliter hujusmodi lectionibus vacare possunt, nisi jussi iis incumbant, quia, inquit RR. DD. Bouvier [3], *vel officia sua communiter negligunt, vel scandalum aliis præbent ; ad minus inde sequuntur, ut experientia constat, tædium pietatis, incapacitas labori*

1. S. Liguor., *ibid.*
2. RR. DD. Bouvier, *ibid.*, p. 103 ; S. Liguor., lib. 3, n° 426.
3. *Ibid.*, 105.

continuo incumbendi, *extinctio spiritus unctionis ac fervoris*, etc.

217. Certum est componentes ac etiam vendentes libros aut comœdias notabiliter turpes, aut ad inhonestos amores graviter excitantes, nullo modo posse excusari a gravi peccato, ob aliorum scandalum, quamvis non intentum; nec lucrum, quamvis magnum, excusare valet, juxta S. Liguor. [1]. — Componentes verò aut vendentes libros non graviter obscœnos peccant quidem, etiam lethaliter, si ad excitandam libidinem id faciant; si vero tantum ad lucrum comparandum, aut ob aliud motivum non graviter pravum, peccatum erit solummodo veniale, cum absque gravi peccato legi queant hujusmodi libri; secus sentit tamen RR. DD. Bouvier [2] de componentibus, quamvis a præfatis non dissentiat quoad ipsos vendentes.

Clerici autem vel personæ piæ non videntur posse componere absque gravi scandalo hujusmodi libros vel comœdias, licet possint legi absque gravi peccato.

218. 4° Spectacula in se non sunt mala : talia solummodo efficiuntur ob res turpes et pravas quæ inibi repræsentantur; si repræsentantur res graviter turpes, aut in iis appareant personæ diversi sexus notabiliter indecentes, graviter haud dubie illicita sunt actoribus, qui proinde non sunt absolvendi, nisi professioni suæ renuntient, vel saltem promittant non fore amplius turpia repræsentaturos. Quoad autem interessentes, certe pariter mortaliter peccarent si iis adessent ob delectationem ex ipsis turpibus exsurgentem; vel si pecunia, plausu, aut alio modo iis cooperarentur; vel si absque sua præsentia non fierent; vel si non assisterent sine gravi laicorum scandalo, quia v. g. sunt clerici, vel regulares, vel personæ magnæ pietatis, aut sine proprio periculo : unde S. Liguor. [3] nullo modo excusaret adolescentem qui absque necessitate vellet, curiositatis causa, hujusmodi spectaculis interesse, nisi quis esset valde timoratus et insuper pluries fuisset exper-

1. Lib. n° 428.
2. *Ibid.* p. 106.
3. Lib. 3, n° 427.

tus mortaliter se non peccasse, modo suo exemplo ad iisdem assistendum alios adolescentes non induceret. — Si vero, extra præfatos casus, his turpibus spectaculis interessent solum ob vanum solatium aut curiositatem, venialiter duntaxat peccarent, juxta S. Liguor. quem sequitur cardin. Gousset[1]; sed hæc decisio laxior videtur DD. Bouvier[2], eo quod vel semper sit periculum proprium, aut proximi scandalum, aut cooperatio ad actionem mortaliter pravam. — Quidquid autem sit de hoc, recte P. Gury dicit difficile esse ut, qui frequenter quibuscumque comœdiis intersunt, non incurrant periculum graviter peccandi; proinde tales generatim non videntur absolvendi, nisi hujusmodi frequentationi renuntient[3].

Peccant etiam mortaliter ii qui repræsentationes graviter turpes non impediunt, quamvis commode possint; a fortiori si tenerentur ex officio impedire[4].

219. Lethale peccatum non est, præciso scandalo, interesse comœdiæ non graviter turpi, nisi quis expertus esset tali ludo induci in proximum libidini consentiendi periculum[5].

Imo, absente tali periculo et subsistente legitima causa, nullum esset peccatum assistere spectaculis non graviter turpibus : sic excusari possunt uxores ne marito displiceant, famuli et famulæ propter dominorum suorum obsequium, filii et filiæ-familias si id parentes exigant, milites et magistratus ut recto ordini invigilent; principes ut affectionem subditorum sibi concilient, etc.; illi omnes possunt absolvi, modo hujusmodi assistentia non sit ipsis proxima occasio graviter peccandi. Ita DD. Bouvier et P. Gury.

Quidam sancti Patres, et post eos multi graves auctores, quales Bossuet, Nicole, comte de Valmont, etc., omnia spectacula insectati sunt, et merito sane, cum generatim

1. *Théol. mor.*, 6e précepte, ch. I, p. 202.
2. *Ibid.*, p. 118.
3. *Compendium, ibid.*, no 234, 5o.
4. S. Liguor., lib. 3, no 427.
5. P. Gury. *ibid.*, 1o.

sint periculosa et causa frequens perditionis animarum; sed hi auctores modo oratorio sunt locuti, nos autem in præsenti theologice et in rigore quæstionem expendere debuimus, quatenus confessarii certas habeant regulas pro recto animarum regimine. Debuimus ergo exacte specificare quandonam spectacula graviter aut leviter sint illicita, quandonam è contra a peccato immunia sint.

220. Quærit. Quid sit sentiendum de comœdis et histrionibus, et an nunquam possint absolvi nisi suæ professioni renuntient?

Resp. Ut jam diximus (218), certe non sunt absolvendi comœdi et histriones, nisi prius renuntient turpibus repræsentationibus : sed cum spectacula non sint de se omnino illicita, nec etiam *officium histrionum*, inquit S. Thomas, *est de se illicitum*, nec illud exercentes *sunt in statu peccati*, *dummodo moderate ludo utantur*, *id est*, *non utendo aliquibus illicitis*, *verbis vel factis*, *ad ludum*, *et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis* [1]. Non sunt ergo semper histriones absque absolutione dimittendi : unde immerito Lequeux [2] indiscriminatim pronuntiat eos qui ex professo agunt in theatris, histriones, joculatores, etc., ad sacramentorum participationem non esse admittendos.

Re quidem vera, apud nos in Gallia olim comœdi velut excommunicati generatim habebantur ob Concilii Arelatensis, anni 314, canonem, in quo dicitur : *De theatricis et ipsos placuit, quamdiu agunt, a communione separari*; sed præterquam est locus dubitandi num ille canon legitime possit applicari hodiernis spectaculis, non constat excommunicationem per ipsum illatam esse ipso facto incurrendam. Asserit quidem Pontasius comœdos, singulis dominicis, in formula pronai denuntiari tanquam excommunicatos; sed plus quam viginti et septem variorum diœceseon ritualibus Card. Gousset demonstrat in hoc deceptum esse Pontasium [3], et addit insuper se opinari in

1. 2, 2, q. 168, ad 3m.
2. *De virtutibus*, diss. 3, no 117.
3. *Théol. mor.*, t. 1, no 648.

desuetudinem hodie abiisse hanc excommunicationem qualiscumque fuerit :

« Lorsqu'un acteur est en danger de mort, ait sapienter « dictus Cardinalis, le curé doit lui offrir son ministère ; si « le malade ne paraît pas disposé à renoncer à sa pro- « fession, il est prudent, à notre avis, de n'exiger que la « simple déclaration que, s'il recouvre la santé, il s'en « rapportera à la décision de l'Evêque. Cette déclaration « étant faite, on lui accordera les secours de la religion. « Dans le cas où il s'obstinerait à refuser la déclaration « qu'on lui demande, il serait évidemment indigne des « sacrements et des bénédictions de l'Église.

« Si, après avoir recouvré la santé, l'acteur a recours à « la décision de l'Évêque, celui-ci verra dans sa sagesse, eu « égard aux circonstances et aux dispositions du sujet, s'il « doit exiger absolument qu'il abandonne le théâtre aussitôt que possible ; ou s'il est prudent de tolérer qu'il le « suive encore plus ou moins de temps, tout en lui indi- « quant les moyens à prendre pour se prémunir fortement « contre les dangers inséparables de sa profession. Toutes « choses égales, on sera plus indulgent envers une actrice, « qui est sous l'empire de la puissance maritale, qu'envers « un acteur qui est maître de ses actions. »

221. Ex modo dictis, facile intelligi potest quomodo se gerere debeant parochi erga histriones et comœdos qui matrimonium contrahere volunt. Vide nostrum *Manuale*, n° 3222.

IV. — De choreis seu saltationibus.

222. In choreas sæpe SS. Patres invehuntur, et merito sane, cum multi in eis animæ suæ ruinam inveniant ; communiter tamen DD. tenent *choreas per se esse licitas, modo fiant a personis sæcularibus cum personis honestis et honesto modo, scilicet non gesticulationibus inhonestis.* Ita S. Liguor.[1], cum aliis pluribus, et etiam S. Franciscus Salesius[2].

Sedulo, hodie præsertim, præfatæ conditiones sunt

1. Lib. 3, n° 429.
2. *Introduction à la vie dévote*, p. 3, ch. 33.

attendendæ : invectæ etenim sunt, nostris temporibus, saltationes ita omnis pudoris expertes et inverecundæ ut difficile conciperetur quomodo absque gravi peccato exerceri possent. Audiatur enim oculatus testis D. B. de S. Laurent in suo opusculo : *Quelques mots sur les danses modernes* :

« Alors nous vint la polka... les jeunes vierges chré-
« tiennes polkèrent puis valsèrent.., puis la polka, la ma-
« zurka, la redova, la scotich, etc., les firent passer dans
« les bras et sur les poitrines palpitantes des jeunes gens
« enivrés; et maintenant la jeune fille... se livre à l'étreinte
« des premiers venus.. Les mères applaudissent niaisement,
« et il y a des bals où l'on ne danse plus que des danses
« modernes que je regarde comme de véritables actes de
« prostitution [1].

« La polka est une véritable excitation à la débauche;
« pour les adultes, c'est un prélude ou une réminiscence
« des plus coupables voluptés [2].

« La polka et ses dérivés ont changé le naturel, l'al-
« lure, et jusqu'à la toilette de nos femmes : les danseuses
« ne portent plus de bouquet au sein, le pauvre bouquet
« était écrasé, tant les corps sont rapprochés; les boucles
« ont disparu parce qu'elles entraient dans les yeux du
« danseur et que deux tours de polka les avaient defrisées [3].

« Aucune femme ne souffrirait qu'on la saisît par la
« taille, ailleurs que dans un bal, le soir, décolletée au
« son d'une musique enivrante [4]. »

Audi nunc D. de Goncourt sic modum saltandi vulgo dictum *Valse* describentem, in opere cui titulus : *Histoire de la société française pendant le Directoire*, p. 172 :
« C'est une ronde de volupté intime et molle, où le couple
« que le rhythme marie, poitrine contre poitrine, haleine
« contre haleine, tourbillonne enlacée.... Les mères ont
« peur de gronder, les maris craignent de passer pour

1. P. 8 et 10, 4e édition.
2. *Ibid.*, p. 19.
3. *Ibid.*, p. 22.
4. *Ibid.*, p. 19.

« jaloux ; les femmes deviennent des sabots tournants, et « la valse, toute nouvelle débarquée de l'Allemagne, com- « mence, en ces années de licence, son règne charmant « et immodeste dans les salons français dégénérés. »

Prætermittenda non sunt verba Dominæ de Bassonville a P. Deschamps in opusculo *La vie des plaisirs*[1] relata : « Je vous parlerai donc des *danses modernes,* tout en vous « affirmant de rechef que, si j'étais *mère ou mari*, *je ne les « permettrais jamais ni à ma femme ni à ma fille*. Dans les « polkas, mazurkas, une danseuse qui se tient courbée en « avant ou qui s'abandonne trop en arrière sur les bras « de son cavalier, manque non-seulement de convenance, « mais encore de décence. Il en est de même d'un cavalier « qui tient sa danseuse trop serrée contre lui[2]. »

223. Proh dolor! turpissimæ hujusmodi saltationes etiam in pagis hodie usurpantur. Porro ut lethale peccatum illas DD. communiter reputant : De iis sic habet DD. Bouvier[3] : « Interesse choreis graviter inhonestis ratione « nuditatum, modi saltandi, verborum, cantuum, gestuum « est peccatum mortale. Hinc saltatio germanica dicta « *Valse,* nunquam permitti potest. »

Pater vero Gury sic de iisdem loquitur[4] : « Choreæ in- « honestæ ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, « gestuum, cantuum sunt semper graviter illicitæ, ut patet. « Inter illas autem communiter recensentur saltationes « recentiores quæ gallice dicuntur *la valse*, *la polka*, *le « galop* et aliæ istis similes » Vide etiam Card. Gousset[5] et P. Deschamps : *Vie des plaisirs*, p. 103, etc. Juxta S. Liguor.[6] leviter apprehendere manum feminæ in choreis vel non erit culpa, vel ad summum venialis.

224. Absolvi ergo nequeunt ii, sive mares sive feminæ, qui præfatis choreis indulgent, nec eis renuntiare volunt.

1. P. 100.
2. V. *Revue des sciences ecclés.*, n° 53, p. 459, etc. ; 20 mai, 1864.
3. *In sextum*, p. 107.
4. *Compendium, De virtutibus*, c. 3, art. 2, § 3.
5. *Morale*, t. 1, p. 235.
6. Lib. 3, n° 429.

— Idem dicunt de choreis cum larvis P. Gury [1], DD. Bouvier [2]; itemque Card. Gousset [3] cum S. Liguorio, si mulieres ubera immoderate nudata ostendant.

225. Quoad eos vero qui honestis saltationibus operam præstant :

1° Etiam ab iisdem, quantum fieri potest, averti debet utpote semper periculosis : unde iis interesse, sine justa causa, peccato saltem veniali carere non solet. Sunt casus tamen in quibus hoc licite fieri potest : non peccat, v. gr., mulier choreis honestis participans ne marito displiceat, nec item puella si id parentes exigant, vel si coram parentibus honeste saltat cum eo qui in uxorem eam poscit ne abnuendo illum offendat [4].

226. 2° Deneganda est absolutio iis pro quibus choreæ, etsi honestæ sint, occasio tamen proxima sunt mortaliter peccandi, nisi iis serio renuntiare promittant. Non autem absolute deneganda esset, si hujusmodi choreæ remota tantum essent occasio delinquendi, aliquando tamen iisdem posset differri absolutio, maxime si hac via spes esset choreas in parochia abolendi.

Item absolutio esset deneganda iis qui saltando grave scandalum præberent, prout si clerici aut moniales in choreis publicis, etsi honestis, saltarent [5].

227. Qui apud se instituunt vel permittunt choreas inhonestas, ut plurimi caupones facere solent, itemque fidicines qui ipsis præsunt, absolvi nequeunt, nisi promittant se desituros. Imo ordinarie non videntur posse absolvi fidicines præsertim publicis ludentes choreis etiam honestis, quia, inquit DD. Bouvier, tales congressus seminaria vitiorum esse solent ac frequens causa ruinæ animarum [6]. « Non eadem severitate tractandi forent, pergit idem, qui « in extraordinariis oblectationibus, auctoritate publica

1. *Ibid.*, t. 1, n° 230.
2. *In sextum*, p. 108.
3. *Ibid.*, t. 1, p. 651.
4. DD. Bouvier, *ibid.*, p. 109.
5. Bened. XIV, Ins. 76 ; DD. Bouvier, *ibid.*, p. 108; Conc. Trid., sess. 24, c. 12, et sess. 22, c. 1.
6. *In sextum*, p. 113.

« celebratis, vel domum suam commodarent, vel fidicines « conducerent, vel ipsi fidibus canendo, saltantes dirige« rent : quia si quod existat periculum, datur ratio suffi« ciens illud permittendi, aut a peccato mortali seu a ve« niali excusans. » Item Præsul idem a mortali excusat eos qui, aliquoties tantum, v. gr., in mense, in bacchanalibus inter familiares, vicinos, vel operarios choreas apud se celebrant, et idem dicit de fidicinibus qui in iisdem canunt. Vide etiam Sættler ap. Rousselot[1].

228. Quærit. An absolvi possit mater a filia exigens quod modum saltandi addiscat? Et utrum filia hujusmodi voluntati suæ matris obtemperare teneatur?

Resp. 1° Si agatur de modis saltandi honestis, absolvi potest mater præfata, cum nihil illicitum exigat; proinde filia tenetur ei obedire.

2° Si quæstio sit de modis inhonestis, quales sunt, v. g., supra descripti, peccat illa mater talia exigendo, cum sint mala, et matri non liceat velle ut filia male agat, nec debeat illam exponere periculo in futurum peccandi. Unde absolvenda non est nisi desistat a tali mandato. Filia tamen posset licite modos sic saltandi addiscere cum firma intentione nunquam eos ad praxim reducendi, dummodo, pro iis addiscendis cum viro juveni maxime non se exerceret.

V. — De ornatu mulierum.

229. Ob quadruplicem causam potest quis se vestibus induere : 1° ad tuendum corpus contra aeris injurias ; 2° ad verecundas corporis partes tegendas; 3° ad servandam proprii status decentian juxta patriæ morem ; 4° ad augendam pulchritudinem. De tribus prioribus causis nulla potest esse difficultas, cum sit necessarium, et certe conveniens ob hujusmodi causas se vestimentis induere. Difficultas est tantum quoad causam quartam, præsertim quoad mulieres, quæ ad vanitatem sunt procliviores et suo apparatu occasionem ruinæ spiritualis viris subministrant.

1. *De sexto*, etc., p. 67.

230. 1° Nullo modo peccat mulier se ornans juxta suam conditionem ad placendum viro suo, aut ad sponsum inveniendum, vel ne sua libertate privetur. Constat ex Apostolo, 1 ad Tim., c. 2, v. 9; attamen si ex ornatu suo prævideret aliquem in particulari fore lapsurum mortaliter teneretur, juxta S. Liguor.[1], bis vel semel a conspectu ejus aut a dicto ornatu se abstinere.

231. 2° Si se ornet mulier extra suam conditionem causa vanitatis aut placendi, ut procum facilius inveniat, quin tamen lapsum alicujus in particulari prævideat aut intendat, peccat quidem illa, cum jus non habeat ad talem ornatum superfluum, sed nonnisi venialiter; lethaliter vero peccaret hujusmodi ornatu non se abstinens, si lapsus proximi timendus esset in particulari; per breve tempus tamen, juxta Lessium, femina tenetur sub gravi illum superfluum ornatum vitare[2]. Docet autem S. Thomas mulieres appetentes viris placere, non ideo semper peccare mortaliter licet non sint conjugatæ, nec velint aut possint matrimonium inire, sed graviter peccare si se ornent ut alios provocent ad concupiscentiam, non vero si tantum quærant placere ex vanitate[3].

3° Mulieres caput discoopertum et capillos intortos aut alienos habentes juxta morem patriæ, vel nullum vel solummodo veniale peccatum committunt; secus, si ex aliquo alio fine graviter malo.

4° Fucare faciem ad tegendum defectum vel ad placendum viro suo, peccato caret; si autem fiat ex sola vanitate, aut ad inveniendum virum, est veniale, si quidem viri decipi nolunt; mortale vero si id faciant ad provocandum ad concupiscentiam extra matrimonium.

232. 5° Alterius sexus vestes induere cum intentione aut gravi periculo libidinis aut scandalo notabili, est mortale; si fiat tantum ex joco aut levitate, veniale solummodo est. Idemque est dicendum de iis qui incedunt larvati; eos autem aspicientes ob curiositatem, et risu excipientes, peccant

1. Lib. 2, n° 54.
2. S. Lig., *ibid.*
3. 2, 2, q. 169, art. 2.

leviter tantum ; graviter vero ordinarie delinquunt, juxta DD. Bouvier et Rousselot, qui ex professo larvas et vestes alterius sexus pro bacchanalibus conficiunt, vendunt, aut locant : nobis tamen peccatum mortale non videtur, conficere, vendere, etiam ex professo, larvas duntaxat, cum uti larvis de se videatur tantum veniale peccatum.

233. 6° Quoad mulieres ubera nuda ostendentes, aut nonnisi levissimo velamine tegentes, non negat S. Liguor. illas quæ hunc morem alicubi introducerent, graviter peccare ; imo asserit denudationem pectoris ita posse esse immoderatam ut a gravi scandalo nequeat excusari. Sed si non sit adeo immodica, et alicubi vigeat consuetudo taliter incedendi, hæc quidem, juxta ipsum, esset exprobanda, et quantum fieri posset extirpanda, non omnino tamen damnanda de gravi culpa : quia consuetudo, etsi non det jus ad male agendum, facit tamen ut a tali visu viri minus ad concupiscentiam commoveantur, prout experientia satis compertum est.

Mulieres autem quæ vestes ita constrictas gestant ut forma pectoris plane appareat, imo et illæ quæ fictas sibi turgentes addunt mammas, nonnisi venialiter peccant, si id faciant ex vanitate solum, seclusis periculo libidinis et scandalo. V. Rousselot [1].

234. Hic nobis opportunum videtur subjicere sapientissimas D. N. Pii IX considerationes circa ornatum mulierum, contentas in Epistola ad D. Mariam de Gentelles, quæ optimum de hac materia librum ediderat :

« C'est lui (le luxe dans la mise) qui, par les soins re-
« cherchés du corps et de la chevelure, soins qu'on
« renouvelle même plusieurs fois le jour, absorbe
« le temps qu'on devrait consacrer aux œuvres de piété et
« de charité, et aux devoirs de la famille ; c'est lui qui
« provoque aux réunions brillantes, aux promenades pu-
« bliques et aux spectacles ; c'est lui qui apprend à courir
« de maison en maison, sous prétexte de devoirs à remplir,
« et à s'y livrer à l'oisiveté, à la curiosité, aux conversations
« indiscrètes.

1. *In sextum*, c. 1, art. 2.

« C'est lui qui sert d'aliment aux mauvais désirs, lui « qui consume les ressources que l'on devrait réserver « pour ses enfants, et enlève à l'indigence les secours qui « lui viendraient si à propos.

« C'est lui qui souvent désunit les époux, et plus sou- « vent encore empêche la conclusion des mariages : car il « se trouve à peine des hommes qui consentent à se char- « ger d'une si énorme dépense.

« Comme le disait Tertullien : *On étale dans un très- « petit écrin un immense patrimoine ; on met dans un collier « dix millions de sesterces ; une tête frêle et délicate porte le « prix des forêts et des îles ; de fines oreilles absorbent les « revenus d'un mois ; la main gauche joue de chacun de ses « doigts avec autant de sacs d'or : la vanité donne la force à « un seul corps, à un corps de femme, de porter un capital « énorme.*

« Or, l'expérience le démontre, cet éloignement du ma- « riage fournit au désordre un nouvel aliment. En outre, « c'est à peine si ces frivolités, qui désunissent la famille, « permettent l'entretien d'une mutuelle intimité ; c'est à « peine si on accorde à la religion ce que réclame la pra- « tique la plus commune. On sacrifie au luxe l'éducation « des enfants, on abandonne pour lui le soin des intérêts « domestiques ; il n'y a plus d'ordre dans la maison ; elle « est bouleversée. Dès lors, on encourt la réprobation de « l'apôtre : *Si quelqu'un n'a pas soin des siens, et surtout « de ceux de sa maison, il a renié la foi et il est pire qu'un « infidèle.* Mais comme une ville se compose de familles, « une province de villes, un royaume de provinces, la « famille ainsi gâtée, corrompue, empoisonne de sa con- « tagion la société toute entière, et lui prépare insensible- « ment ces calamités qui aujourd'hui nous accablent de « toutes parts.

« Fasse le ciel qu'un grand nombre de femmes s'unis- « sent à vous pour détourner d'elles-mêmes, de leurs « proches et de la patrie la cause de tant de maux, et que, « par leur exemple, elles apprennent aux autres à rejeter « loin d'elles tout ce qui dépasse le soin d'une parure « honnête ! Que toutes se persuadent bien que, pour se

« concilier l'estime et l'affection de leurs maris, elles n'ont « pas besoin de coiffures si coûteuses, de toilettes si splen- « dides, mais bien plutôt de cultiver la vertu : car *toute « leur gloire vient du dedans.* C'est la grâce ajoutée à la « grâce que la femme sainte et pudique. *Seule, enfin, elle « recueillera des éloges, la femme qui craint le Seigneur.* » (*Univers*, édit. semi quotid., 11 janv. 1869, p. 3, col. 4.)

DISSERTATIO SECUNDA.

DE QUIBUSDAM MINUS PUDICIS AD MATRIMONIUM SPECTANTIBUS.

235. De tribus nobis est loquendum in hac Dissertatione : 1° de actu requisito ut enascatur affinitatis impedimentum ; 2° de impotentia conjugum ; 3° de debito conjugali.

CAPUT PRIMUM.

EX QUONAM ACTU ORIATUR AFFINITATIS IMPEDIMENTUM.

236. Affinitas, quatenus est impedimentum matrimonii dirimens, est *propinquitas, quæ oritur ex copula carnali, ac contrahitur cum consanguineis personæ quacum habetur copula.* Extenditur quidem usque ad quartum gradum si actus fiat cum legitimo conjuge, ad secundum vero tantum si fiat cum eo qui conjux non est. De hujusmodi impedimento, legendi sunt tractatus de matrimonio, et videri etiam potest nostrum *Manuale totius juris canonici*, n^is 4276-4291.

Notandum est hîc specialiter hanc copulam debere esse perfectam et consummatam : id est requiri quod seminatio fiat intra vas debitum. Hoc est certum ex parte maris. An autem pariter requiratur seminatio ex parte feminæ,

controvertitur. Utraque sententia, sive affirmans, sive negans, probabilis declaratur a S. Liguorio [1], qui tamen propendere videtur in affirmantem, eo quod imprimis affinitas non contrahitur nisi coeuntes fiant una caro; at una caro non efficiuntur nisi semina commisceantur. Et hæc sententia firmatur auctoritate S. Thomæ, qui docet expresse exigi seminationem tam maris quam feminæ ut affinitas contrahatur. Sed in dubio præsumendum est perfectam fuisse copulam. Unde si vir coierit, et dubitet an seminaverit, vel an intra vas, perfecta præsumitur copula; idemque dic de muliere quando in coitu magnam experta est voluptatem, esto seminationem non adverterit. Nec dubitari posse videtur adesse affinitatem quando conceptio certe subsecuta est copulam. Oritur autem affinitas ex copula habita cum muliere prorsus invita ac renitente aut etiam dormiente, aut ebria. Cap. *Discretionem, de eo qui cognovit* [2]. Sed hujusmodi mulier in tali casu non privatur jure petendi debitum conjugale, ut infra dicturi sumus (273).

CAPUT II.

DE IMPOTENTIA CONJUGUM.

237. Impotentia matrimonium præcedens est impedimentum dirimens, si perpetua sit : patet ratio, cum validus esse nequeat contractus quando res promissa nunquam poterit præstari. — Secus ergo si temporalis tantum sit impotentia, nec si, connubio valide contracto, superveniat impotentia etiam perpetua : ideo tunc solvitur matrimonium, quia est indissolubile. In hoc tamen casu impotentiæ conjugii vinculum non irritantis, sponsis soli tactus et oscula licent quæ fieri possunt citra pollutionis periculum [3].

Adest autem impotentia quando conjuges nequeunt

1. Lib. 6, n^is 1075.
2. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 189.
3. S. Liguor., lib. 6, n° 1095.

habere copulam per se aptam ad generationem : nempe si vir sit eunuchus, nec valet semen prolificum emittere, eo quod careat utroque testiculo, vel seminare haud potest intra vas naturale feminæ ; aut si femina virum pati nequeat, vel semen ejus intra vas recipere propter arctitudinem; aut etiam casu quo ipsa non potest seminare, dato quod seminatio mulieris sit ad generationem necessaria, de quo scinduntur theologi, ut videre est apud S. Liguorium [1].

238. Impotentes vero generatim non sunt habendi senes cum, etiam in provecta ætate, copulam habere queunt, ut constat de Massinissa qui, anno ætatis suæ 80, filium genuit ; item de Catone qui natum habuit anno 88; et de Uladislao Poloniæ rege, qui duos filios habuit anno 90 [2]; imo Collet [3] memorat quemdam nomine Parck qui, anno 100, genuit prolem.

Senes tamen ita debiles et decrepiti ut vas femineum penetrare non valeant, in eoque semen effundere, ope etiam medicamentorum, tanquam impotentes a matrimonio sunt amovendi. Ipsis vero probabiliter licet copulari, licet plerumque accidat quod semen extra vas effundant, modo ipsis sit adhuc probabilis spes quod intra effundere valeant.

239. Mulieres steriles non sunt propter hoc impotentes, quia, etsi non concipiant, tum quia semen non retinent, tum ob aliam causam, nihilominus penetrari queunt et semen viri recipere : per accidens enim evenit quod semen non retineant, imo quod intra matricem non recipiant, illudque rejiciant, modo recipiant intra vas [4].

1. *Ibid.*, n[is] 918, 919.
2. *Hist. des sacrements*, t. 6, p. 420.
3. *Tr. des dispenses*, n° 222.
4. « Idem videtur prima fronte dicendum (scilicet nullum esse ma-
« trimonium) ubi femina intra vas receptum semen retinere non pos-
« set, sed prorsus expelleret, nec spes retinendi superesset : quod
« perinde sit semen intra vas non recipere, ac receptum non retinere ;
« cum fine suo in utroque casu frustretur matrimonium. At censeo
« tunc nullatenus interdicendum conjugium ; sed idem de his dicen-
« dum ac de conjugibus vere potentibus : quod perfecta copula con-

240. Impotentia ut jam innuimus, alia est *perpetua*, alia *temporalis* : *perpetua* censeri debet quando auferri nequit, nisi per miraculum, aut per peccatum, aut cum periculo mortis : *temporalis* vero est, si alio modo desinere valet.

Alia est *absoluta*, quando nempe erga omnes existit; si vero existat erga unum vel quosdam solummodo, tunc est *respectiva*.

241. Ad quatuor capita referuntur causæ impotentiæ : quippe ipsa venit vel ex maleficio, vel ex frigiditate, vel ex improportione membri genitalis, vel ex mixtione sexus.

242. 1° *Ex maleficio* : hujusmodi causa merito adesse censetur quando conjuges ad copulam excitantur cum extraneis, et, licet alias se diligant, inter se tamen frigescunt vel a coitu abhorrent.

Impotentia hujusmodi tanquam perpetua est habenda, ac proinde impedimentum dirimens reputanda est quoties, intra triennium, remedio humano, vel oratione vel exorcismis tolli nequit. Ita communiter. — Si maleficium nonnisi per medium illicitum auferri posset, v. g., per aliud maleficium, ut perpetua habenda foret, et nullum judicandum esset matrimonium; secus si tolleretur, signum amovendo, quia sic licite juxta omnes potest auferri [1].

243. Ubi constat de maleficio, exorcismi Ecclesiæ adhiberi quidem possunt, non tamen sine Episcopi licentia. — Nunquam vero licet uti maleficio, etiam ad aliud tollendum, quia intrinsece est malum dæmonis auxilium invocare, prout docet S. Thomas [2] quem omnes sequuntur. — Constat insuper *Levit.*, c. 19, v. 30 ; c. 20, v. 6. et 27; et *Deuteron.*, c. 18, v. 10-15 : porro, ut ait Apost. *ad Roman.*, c. 3., v. 8 : *non sunt facienda mala ut veniant bona*. De hoc

« jugalis habeatur intra vas, atque per accidens eveniat seminis legitime recepti expulsio. » (Sanch., de matrim., lib. 9, disp. 17, n° 22.) Addit vero idem Sanchez, n° 23, quod, etsi usus matrimonii diceretur illicitus in præfato casu, non ideo tamen damnandi essent conjuges, conjugio utentes in casu quo semper semen rejicitur, quia sæpe tunc matrix sat seminis retinet ad generationem, superfluo expulso.

1. S. Liguor., lib. 6, n° 1096.

2. 4. D., q. un., a. 3, ad 3m.

etiam legendus est S. Augustin. sic habens apud Sanchez[1] : *omnis curatio quæ a divinis, vel magis, vel ab ipsis dæmonibus in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est quam vita; et qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam perditionem tendunt.* Idem docet S. Chrysost., in Epistola *ad Colossenses*, et S. Leo, serm. 19, *De Passione Domini.*

Nec etiam licet vana vanis rejicere, quidquid nonnulli dicant apud eumdem Sanchez.[2] ; quia illicita sunt omnia media vana, nec naturalia, ut pote superstitionem redolentia. Admittit quidem Delrius[3] licere his vanis uti ad experimentum faciendum, aut si crederetur per ea maleficium solvi, non dæmonis operatione, sed quia sciretur dæmonem pactum iniisse cum malefico se a vexatione desiturum, exercitis illis vanis. Sed hoc displicet Sanchezio[4], quia, cum illa vana nulla virtute naturali ad eum effectum prædita sint, non vacant superstitione, et cedunt in dæmonis honorem, cum id sit ejus voluntati connivere.

« Nec excusat a culpa, pergit Sanchez, aliquorum cau-« tela, qui cum videant mirabiles effectus ex rebus vanis « et superstitiosis operationibus consurgentes, eis utan-« tur protestantes animum esse non utendi illis quatenus « res vanæ ac superstitiosæ sunt, nec consequendi effec-« tum, si dæmonis pacto obtineatur ; sed solum utendi « quatenus sunt res licitæ, et effectus a Deo obtinetur. Nam « hæc cautela bona est et prodest quando dubium est an hæ « observationes sint superstitiosæ et vanæ. » — Hæc verba Sanchezii seriò sunt ponderanda ab iis qui hodiernis operationibus magnetismi et spiritismi tam facile se dedunt.

Dignosci vero potest an vana sint media quibus maleficium aufertur regula sequenti : quidquid efficitur aut dicitur gratia alicujus boni obtinendi aut mali vitandi quod nec vim naturalem nec supernaturalem habet ad hunc effectum assequendum, hoc vanum est et superstitiosum :

1. Lib. 7, disp., 95, nº 1.
2. *Ibid.*, nº 2.
3. Libr. 6, *Disquis. magic.*, c. 2, sect. 1, q. 2, etc.
4. *Ibid.*, nº 3.

ratio quia effectus non speratur tunc a natura, cum dicta media careant virtute naturali ad effectum intentum; nec a Deo, cum non sint sacramenta nec sacramentalia a Deo aut ab Ecclesia instituta, et Deus vanis non delectetur, sed ea magis prohibeat; nec a bonis angelis qui talibus non operantur nec gaudent. Superest igitur ut effectus speretur a Diabolo qui reipsa vanis delectatur : media ergo hujusmodi illicita sunt et reprobanda [1].

244. Quærit. An liceat petere a malefico parato, ut maleficium alio maleficio tollat?

Resp. Quidam affirmant, eodem modo ac licet petere sacramenta a sacerdote sacrilego; sed, inquit S. Liguor. [2], tenenda est sententia negans, quia sacerdos sacrilegus potest, si velit, sacramenta ministrare modo non sacrilego, dum maleficus conficere nequit maleficium sine ope dæmonis, quod est intrinsece malum.

At, licetne petere a mago solutionem maleficii in dubio an calleat necne modum licitum illud solvendi, v. g., quomodo signum sit auferendum ? — Certum est, inquit S. Liguor., licere, si constet modum licitum non ignorari a mago, etiamsi ille modo illicito sit usurus, quia id ipsius malitiæ imputari debet. Ita communiter. — Idem plures dicunt, si certo sit probabile modum licitum esse a mago cognitum. — Si vero adsit dubium negativum, sententia communis negat esse licitum petere a mago solutionem maleficii, quia præsumendum est quod non calleat nisi media illicita. Magus tamen qui signa maleficii posuit, merito præsumitur scire maleficium fore cessaturum per signorum à se positorum ablationem [3].

245. *Ex frigiditate* sunt impotentes qui copulam aptam ad generationem nequeunt ullo modo perficere, eo quod semen effundere non valent. Inter eos computandi sunt evirati seu eunuchi utroque testiculo carentes, ut constat Bulla Sixti V *Cum frequenter*, anni 1587. Secus si uno

1. Sanchez, *ibid.*, n° 5.
2. Lib. 3, n° 25.
3. S. Liguor., *ibid.*; et Sanchez, *ib.*, n° 12.

duntaxat, quia, etsi illi non valeant, isti tamen semen prolificum emittere queunt.

Item impotens judicandus esset vir qui ob uxoris deformitatem, tanta erga ipsam abominatione afficeretur ut nullo modo posset excitari ad copulam, et per triennium hæc impotentia vinci nequiret.

Non reputantur impotentes feminæ quæ fœtus non edunt nisi mortuos, vel nonnisi cum proprio vitæ periculo. — Item nec steriles ut jam supra diximus, 239. De senibus etiam diximus, 238. Nec item impotentes sunt paulo post morituri, quia illorum actualis impotentia est duntaxat accidentalis.

246. Dispositio frigiditati omnino opposita, nimia nempe caliditas, ejusmodi esse potest ut impotentiam pariter constituat; sic, juxta communissimam DD. sententiam, vir impotens esset, si, ob nimiam caliditatem, semper extra vas, antequam coire posset, seminaret; sed hæc caliditas vix, juxta S. Thomam et alios, perpetuum potest esse impedimentum [1].

247. 3° *Ex improportione membri genitalis* adest impotentia « si nempe femina habeat vas adeo arctum (saltem « respectu viri) ut ille nequeat penetrare : tunc si femina « non possit apta fieri ad copulam nisi cum periculo mortis, « omnes conveniunt matrimonium esse nullum ex cap. « *Fraternitatis, De frigiditate*; unde, etiamsi cum tali « periculo mortis ipsa fuerit incisa et facta idonea, matri- « monium non valet : quia, quod ab initio est invalidum, « nequit tractu temporis convalescere. Ita communiter [2]. »

Controvertitur an judicandum sit nullum matrimonium casu quo mulier posset apta fieri ad copulam, sine quidem periculo mortis, sed cum gravis morbi periculo. Speculative verior apparet sententia negans ob verba cap. *Fraternitatis*, ubi dicitur nullum esse conjugium quando copula nequit haberi *nisi per incisionem aut alio sibi modo violentia inferatur non solummodo levis, sed forte tam gravis ut ex eo mortis periculum timeatur*. Diximus *speculative*, quia

1. S. Liguor., lib. 6, n° 1096.
2. S. Liguor., *ibid.*

practice quoties per incisionem gravis morbus timetur, subest etiam mortis periculum [1].

Probabilius autem mulier pati tenetur claustri virginalis reserationem, etiam digitis aut alio instrumento si opus sit, quia hoc potest fieri sine magna molestia, vel a viro vel ab ipsamet muliere [2].

248. 4° *Ob mixtionem sexus* regulariter conjuges non videntur impotentes: hermaphroditi enim seu androgyni apti sunt ad matrimonii usum: et quidem si unus sexus prævaleat, secundum illum valide contrahitur conjugium; si uterque sit æqualis, optio illis datur utrolibet utantur; ita tamen ut quem semel elegerint semper etiam in subsequentibus nuptiis retineant. Ita S. Liguor.[3], et Sanchez [4], qui addit: *Parochus non debet interesse tali matrimonio donec hermaphroditus coram judice ecclesiastico protestetur quo sexu uti velit, et hoc cum juramento.*

Hermaphroditi nec ad ordines, nec ad professionem religiosam sunt admittendi si eorum sexus sit dubius; imo ad ordines non sunt admittendi licet in eis prævaleat sexus virilis [5].

249. Quærit. 1° quid sit agendum in casu impotentiæ?

Resp. Vel impotentia est certa ac perpetua et matrimonii præcessit celebrationem, et statim facienda est separatio, cum matrimonium sit tunc certe nullum ex jure naturali: licet enim copula non sit de essentia conjugii, de ejusdem tamen essentia est potentia ad illam. Separatio autem fieri potest ex propria auctoritate si absit scandalum; et ad hoc etiam tenentur sponsi si in periculo incontinentiæ essent. Pars vero non laborans impedimento potest ad alias nuptias transire. Si autem, prout ordinarie accidit, periculum adsit scandali, sponsi ad judicem ecclesiasticum recurrere debent, a quo separandi sunt quoad torum, aut etiam quoad habitationem, non expectata triennali expe-

1. S. Liguor., *ib.*, n° 1097.
2. S. Liguor., *ib.*, n° 1100.
3. *Ib.*, n° 1095, *versus finem.*
4. Lib. 7, disp. 106, n° 1.
5. V. *Manuale tot. Jur. canon.*, n° 1862.

lientia, uti constat ex cap. *Laudabilem, De frigiditate.* Si velint cohabitare tanquam frater et soror, casu quo non adest periculum incontinentiæ nec scandalum, eis permitti potest ex eodem textu, sed hoc duntaxat quando sunt senes[1].

Juxta communissimam sententiam, illicitum est matrimonium inire cum conscientia impotentiæ certæ, quia hoc esset impostura et sacri ritus profanatio. Sanchez tamen, cum aliis ab ipso citatis, hoc licitum opinatur[2].

250. Quid autem agere deberet mulier casu quo, certe sciens maritum esse impotentem, prolem habuit ex altero viro, si maritus licentia conjugali uti vellet putans se esse hujusce prolis patrem?

Resp. Sedulo expendere debet mulier an revera sit certa de mariti sui impotentia: nam in dubio potest et debet ei reddere debitum conjugale. Si, re serio expensa, sit revera certa de mariti sui impotentia, nullo modo debitum ei reddere potest, quia hoc esset intrinsece malum. In hoc ergo molestissimo statu, inquit RR. DD. Bouvier[3], mulier « debet suadere marito, meliori modo quo poterit, ut in « continentia deinceps vivat : v. g., sub prætextu quod sit « senex, quod unicus infans ipsis sufficiat, quod ipsa ab « actu conjugali nunc abhorreat etc., Si quadam die « videretur plane assentire, sic eum alloqui posset: *Ne « tentationibus victi proposito nostro avertamur, simul, « quæso, perpetuam voveamus continentiam.* » Quo obtento, in tuto erit mulier; et postea votum obtendendo, sine ullo suspicionis periculo, maritum licentia conjugali uti volentem repellere poterit.

251. Si vero impotentia sit dubia, vel ante matrimonium de ea dubitatur, et tunc illicitum est nuptias inire, antequam re diligenter investigata, depositum fuerit dubium, quia aliter gravis irrogaretur injuria parti potenti. Attamen si ex medicorum judicio et experientiis probabiliter sit potens, licite contrahere potest, quia probabilis-

1. S. Liguor.. *ib.*, n° 1101.
2. *Ibid.*, disp. 97, n° 13; *V.* RR. DD. Bouvier, *ibid.*, p. 135.
3. Supplem. *in sextum*, etc., p. 137.

simum est posse sacramentum sub conditione ministrari quando adest justa causa, prout hîc adesse videtur, ne scilicet in tali dubio cogatur sponsus perpetuo manere cælebs. Monenda tamen esset altera pars de tali dubio. Cæterum, præcisis circumstantiis specialibus, quisque ad matrimonium præsumendus est habilis.

Vel contracto duntaxat matrimonio supervenit dubium, aut non obstante dubio initum fuit conjugium, et tunc licite debitum peti et reddi poterit. Pro hoc enim casu datur triennalis experientia in cap. *Laudabilem*, *De frigiditate*. Durante autem hoc triennio, licite possunt conjuges copulam intentare, licet sæpe aut semper semen extra vas effundant. Ita communiter [1].

Juxta Sanchez [2] tamdiu licet sponsis copulam intentare quamdiu est probabilis spes seminandi intra vas, absente vero illa spe probabili, si, omnibus perpensis circumstantiis, omnino dubium esset de impotentiæ perpetuitate, sufficit tunc triennalis experientia.

252. Hæc quidem pro foro interno. Quoad vero externum: 1° contingere potest quod unus ob dubium impotentiæ ab alio, auctoritate privata, recesserit, sed judex debet statim eum cogere ad redeundum, nisi evidentes producat impotentiæ probationes; si autem non recesserit nisi post triennii experientiam, judex debet eum audire. 2° Si unus alleget impotentiam, altero negante, datur à judice triennium ad experiendum : ubi notandum est hanc experientiam continuam moraliter esse debere; nec officeret si unus sponsorum abfuisset per unum aut alterum mensem per annum ; si vero tempus recessus longius fuisset, si, v. g., per sex menses duraret, supplendum tunc esset hujusmodi tempus [3]. Notandum pariter non a die sententiæ judicis incipere debere triennium, quidquid nonnulli dicant, sed verius a tempore attentatæ copulæ, prout deducitur ex cap. *Laudabilem* præcitato, ubi dicitur *a tem-*

1. S. Liguor., lib. 6, n° 1103 ; et Sanchez, *ibid.*, disp. 103, n° 3.
2. Lib. 9, disp. 17, n° 24.
3. Sanch., *ibid.*, disp. 110, n° 6.

pore celebrati conjugii, quod intelligitur cum effectu, id est a tempore attentatæ copulæ.

Ut autem solvatur matrimonium sponsi jurare debent coram judice nunquam secum habuisse copulam esto pluries attentaverint, illorumque testimonium confirmandum est per depositionem juratam septem propinquorum, aut vicinorum bonæ famæ propinquorum defectu, qui omnes declarent id credidisse vel ab eis audivisse. — Si haberi nequeant septem illi propinqui vel vicini, arbitrio judicis relinquitur decernere quid sit tunc agendum. — Si vero mulier quæ, tempore contracti matrimonii erat virgo, alleget viri impotentiam, adhibenda est inspectio medicorum respectu viri et matronarum peritarum respectu feminæ. Ita probabilius Salmantic. et alii contra Pontium. Casu autem quo mulier fuerit corrupta, si vir contendat eam a se fuisse cognitam, credendum est tum potius viro affirmanti consummasse matrimonium quam mulieri id neganti. Ita cap. *Continebatur*, *De despons. impub.*

3° Si demum utraque pars fateatur impedimentum, tunc, juramento post triennalem experientiam exacto ab utroque conjuge, et adhibita septima manu propinquorum ex utraque parte, id est quatuordecim, solvitur matrimonium, et pars impedimento carens ad alias nuptias licite convolat, prout etiam utraque pars si impotentia sit solum respectiva ad se invicem [1].

Etsi per judicium ecclesiasticum uni sponsorum fuerit permissum ad alias transvolare nuptias, si constet postea partem quæ impotens judicata fuerat, non revera talem esse, ad eam redire debet conjux cui permissum fuit secundum inire conjugium : id probatur cap. *Fraternitatis* jam citato, et cap. *Requisisti*, causa 33, q. 1, quamvis refragentur nonnulli a Lequeux allegati, n° 853.

253. Sed quid de casu quo, matrimonio per judicium Ecclesiæ ob arctitudinem mulieris respectu viri soluto,

1. S. Liguor., lib. 6, n° 1103 ; Bouix, *de Judic.*, t. 2, p. 450-452 ; *Analecta juris Pontif.*, 27e livr., col. 927-930 ; et meum *Manuale*, nis 6093-6095.

mulier a secundo viro cognosceretur et per frequentem usum matrimonii apta primo redderetur, deberetne tunc hæc mulier ad primum virum redire? — Dicitur in cap. *Fraternitatis* quod, si mulier non poterat reddi apta primo viro nisi cum periculo mortis, non debet tunc redire : secus, si poterat sine tali periculo. — An vero judicandum sit quod poterat, ex eo quod facta sit apta per usum conjugii sequentis, dari nequit regula omnino generalis; hoc enim pendet ex circumstantiis, de quibus videri potest S. Liguorius [1]. Merito præsumeretur mulier potuisse primo viro fieri apta absque mortis periculo ob similitudinem in ætate, robore, magnitudine secundi viri cum primo.

254. « In dubio autem an matrimonium fuerit consum« matum vel non, judicandum est consummatum, nisi « oppositum probetur, ut communiter docent Sanchez, « etc..... In dubio an impotentia præcesserit vel secuta « fuerit matrimonium, discrepant DD. : sententia proba« bilior dicit impotentiam censendam esse antecedentem.., « quia cum matrimonium nequit suum habere effectum « nimirum procreationem prolis, potius refert ad ejus « favorem ut judicetur invalidum.... Conveniunt autem « Contin. Tournely, etc... quod, si impotentia non fuerit « naturalis, sed accidentalis, nempe ex maleficio, vel ex « obsessione, aut alio morbo, tunc in dubio præsumitur « præcessisse matrimonium, si allegetur brevi post ejus « celebrationem : secus vero, si post longum tempus [2]. »

255. Sponsi qui perpetua impotentia detenti existimantur in bona fide eo quod id ignorent, in eo possunt relinqui casu quo admonitio non speratur profutura [3]; secus tamen sentit RR. DD. Bouvier [4].

In variis dubiis quæ in hac materia oriri possunt, regulariter ad Episcopum est recurrendum.

1. *Ibid.*, nº 1098; videri etiam potest RR. DD. Bouvier de sententia Gallicanorum.

2 S. Liguor., *ibid.*, nº 1104.

3. S. Liguor., lib. 6., nº 611, et nº 1123, *in fine*; card. Gousset, *Morale*, t. 2, nº 791.

4. In opere pluries citato, p. 148.

Nota quod, licet matrimonium sit certe validum, si con-
es (vel unus ipsorum) fiant impotentes, ipsis, hoc
nel bene constante, amplius non licet uti matrimonio;
s tamen licent tactus, etc., qui pollutionis periculum
ximum non inducunt[1].

256. Nullum de hoc impedimento mentionem facit
ster codex civilis. Non dubitandum tamen, ait RR. DD.
uvier, quin tribunalia nullitatem matrimonii pronunti-
nt, si de impotentia antecedente et perpetua constaret.
, juxta Delvincourt (t. I, p. 405), semper fuit judicatum
foro civili. Touiller vero fatetur mulierem posse nulli-
is declarationem a judicibus impetrare si constaret ma-
um fuisse eunuchum vel alia impotentia laborare ante
trimonum. Vide etiam Rousselot[2].

257. Ob affinitatem materiæ dicendum est etiam de impe-
mento ætatis. Ad matrimonii enim validitatem certa ætas
quiritur, annus videlicet 14 completus ex parte viri, et
pariter completus ex parte feminæ. Ita cap. 6, 10 et 14
desp. imp. Sufficit autem, juxta Sanchez, et alios[3],
od ultimus dies sit incœptus. — Ante hanc ætatem,
rtum est conjugium esse nullum, etsi unus tantum dies
esset, *nisi malitia suppleret ætatem*, ut habetur in cap.
bere, De desp. imp., ubi dicitur : *Certum est eum puberem
e qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare
m potest.* Hoc dignoscitur, si, v. g., puer jam habuerit
pulam, vel si jam sit aptus ad effusionem seminis, vel,
puella jam habuit menstruum. — Hæc tamen signa
on admittuntur nisi sponsi sint ad pubertatem proximi :
dicis autem prudentiæ relinquitur determinare quomodo
intelligenda hæc proximitas, in quo attendere debebit
ualitati personæ, temperiei regionis, etc.

258. Nullitas matrimonii ob ætatis defectum est quidem ordinarie solius juris ecclesiastici : juris tamen naturalis insuper esset, si contrahentes nondum haberent sufficientem notitiam naturæ conjugalis contractus.

1. Sanchez, libr. 9, disp., 7, nis 18 et 19.
2. *Opere cit.*, p. 97.
3. Lib. 7, disp. 104, no 2.

Si vero conjuges, etsi ætatem pubertatis assecuti, non valerent matrimonium consummare, non ideo nullum reputandum esset eorum conjugium, quidquid nonnulli dicant, quia merito ut temporalis duntaxat præsumi debet eorum impotentia. Unde communius docetur triennium, ad experiendam potentiam concessum, debere tantum incipere a pubertate completa, videlicet ab anno 18 pro viro, et ab anno 14 pro femina [1].

259. Quamquam matrimonia rata impuberum invalida defectu consensus habeantur, valere tamen possunt tanquam sponsalia ex speciali juris dispositione in cap. *Tua De spons. impub.*, et cap. unico, eodem in 6° [2].

Juxta Bened. XIV [3] declarare possunt Episcopi an malitia suppleat ætatem, ac proinde an sit locus dandi licentiam nuptias contrahendi ante legitimam ætatem. Ad solum tamen Summum Pontificem pertinet dispensare cum iis qui nondum ætatem habent nec adhuc sunt potentes. Sed casibus urgentissimis sat probabiliter Sanchez docet posse Episcopum dispensare; quod probat cap. 2 *De dispens. impub.*, ubi dicitur dispensari posse *in aliqua urgentissima necessitate* : quod nonnisi de Episcopis videtur intelligendum [4].

260. Non eodem modo intelligitur impedimentum ætatis in nostro civili codice ac in jure canonico. In articulo enim 144, statuitur tantum quod mas ante annos 18 evolutos et femina ante 15 annos integros, matrimonium contrahere haud possunt : « Néanmoins, additur in art. « 185.., le mariage contracté par les époux qui n'avaient « pas encore l'âge requis, ou dont l'un des deux n'avait « pas atteint cet âge, ne peut plus être attaqué : 1° lorsqu'il « s'est écoulé six mois depuis que cet époux ou les époux « ont atteint l'âge compétent ; 2° lorsque la femme qui « n'avait point cet âge a conçu avant l'échéance de six « mois. »

1. S. Liguor., lib. 6, n° 1066; Sanchez. lib. 7, disp. 110, n° 10.
2. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 188.
3. In *Epist. ad Episc. Poloniæ.*
4. Lib. 7, disp. 104, n° 12.

CAPUT III.

DE DEBITO CONJUGALI.

261. Sibi invicem nubendo, conjuges tradunt jus in corpus ad procreandam prolem : porro obligatio exinde orta vocatur debitum conjugale.

ARTICULUS I.

DE LEGITIMITATE CONJUGALIS DEBITI.

§ I.

De legitimitate hujusmodi debiti in se spectati.

262. Bonum est matrimonium : auctorem enim ipsummet Deum habet, et ad dignitatem sacramenti a Christo fuit evectum : sicque Deus genus humanum propagari conservarique statuit, ac eodem medio Christus fidelium multiplicationi voluit providere. Unde patet manifeste licitum ac legitimum esse id omne quo in matrimonio potest obtineri hujusmodi propagatio ac multiplicatio, proinde debiti conjugalis petitionem et redditionem ; unde Apostolus, Cor., 7., v. 3, ait : *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro*. Nulla est de hoc nec potest esse difficultas, saltem inter catholicos.

263. Generatim licitus est usus matrimonii quoties fit prolis causa ; hæc tamen non est necessario semper intendenda in hujusmodi actu, dummodo non positive impediatur ; imo simplici affectu optare licet ne proles nascatur ob eam alendi difficultatem [1].

264. Quærit. 1° An liceat debitum conjugale petere vel reddere sola causa vitandi incontinentiam?

Resp. Duplicem esse sententiam. Multi quidem cum S. Thoma dicunt adesse saltem in petitione debiti veniale

1. S. Liguor., lib. 6, nº 927.

peccatum, si fiat tantum ad vitandam incontinentiam, eo quod primarius finis conjugii sit prolis procreatio, vitatio vero concupiscentiæ loco secundario duntaxat veniat; porro venialis est deordinatio finem præcipuum minus principali postponere. — Multi tamen alii cum S. Liguor.[1] negant in hoc adesse ullum peccatum, quia non tantum Deus instituit matrimonium ad filiorum procreationem, sed etiam in concupiscentiæ remedium, ut constat Apostolo, 1 Cor., c. 7: *Propter* FORNICATIONEM *unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque suum virum*. Porro hoc Apostolus dicit de propria fornicatione vitanda, et non tantum de alterius (prout non bene videtur censuisse S. Thomas); quod amplius patet ex cæteris Apostoli verbis: *quod si non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri* (v. 9); et vers. 5: *nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. Quibus patet Apostolum, non tantum permittere matrimonium ipsiusque usum ad vitandam incontinentiam, sed etiam ad hæc hortari in casu: quod autem permisit Doctor gentium, imo ad quod hortatus est, nullatenus potest esse peccatum. Ergo sive petitio sive redditio debiti conjugalis, causa incontinentiam vitandi, caret peccato etiam veniali. Eadem sententia confirmatur auctoritate S. Chrysostomi sic inquientis: *quæ igitur fuit causa conjugii? Audi Paulum... Ut scortationem vitemus, ut moderemus concupiscentiam, contenti uxore propria, hoc nobis affert conjugium; hic ejus fructus; hoc inde lucrum est; in hoc quærendæ nuptiæ, ut ad vitam pudice agendam nos adjuvent* (Homil. 9). — Cæterum licet in casu intendatur finis secundarius matrimonii, non excluditur tamen primarius, seu filiorum generatio; et actus saltem virtualiter aut habitualiter ad Deum referri potest; proinde nihil obstat quin legitimus reputari valeat [2]. Secunda hæc sententia multo probabilior mihi videtur.

A fortiori petitio debiti, tuendæ sanitatis causa, est licita,

1. *Ibid.*, n° 882.
2. S. Lig., *ib.*, n° 883.

cum hujusmodi finis sit in se honestus, nullatenus a concupiscentia procedat, nec excludat finem nuptiarum præcipuum. — Sic generatim dici potest petitionem peccato carere quoties non excluditur præcipuus connubii finis, et fit ex motivo in se honesto; verumtamen S. Thomas, quem alii quidam sequuntur, dicit veniale esse uti matrimonio solius sanitatis causa[1]; imo hoc ut certum tradit RR. DD. Bouvier, quin tamen probet; econtra Busembaum ut certum habet in casu nullum adesse peccatum[2].

Ex dictis sequitur : 1° sterilibus licitum esse usum matrimonii : illo enim uti possunt in remedium concupiscentiæ ; 2° idem est dicendum de senibus qui possunt copulam habere et consummare ; ideoque Ecclesia ipsis permittit matrimonium.

265. Quærit. 2° An sit licitum uti matrimonio præcipue ad voluptatem captandam ?

Resp. Quidquid olim senserint quidam theologi, sententia negans est hodie omnino amplectenda ; quia etsi usus matrimonii sit in se licitus, inhonestum est tamen in actu licito sibi proponere solam voluptatem, ut constat propositione sequenti ab Innoc. XI damnata : *opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali*. Peccatum vero hoc habetur tantum ut veniale, quia « delectatio de aliquo objecto ex duplici tantum capite « potest esse mortalis : vel quia objectum ipsum est gra- « viter vetitum, vel quia homo delectatur illo tanquam « fine ultimo ; sed in hac delectatione neutrum intervenit : « non primum, ut patet ; non secundum, ut supponitur. « Non excusatur a veniali quia est perversio ordinis, cum « delectatio, quæ intenta est a natura ut medium ad gene- « rationem, sit finis habendæ copulæ. Nullum autem erit « peccatum... si conjux principaliter intendat procreatio- « nem prolis, et utatur voluptate (eam moderate inten- « dens) ut se excitet ad copulam ; sicut pariter mini- « me peccat, qui intendit moderatam delectationem in

1. S. Liguor., lib 6, n° 927.
2. S. Liguor., *ib.*, n° 883; Mgr Bouv., in oper. cit., p. 158.

« comedendo, ad præstandum corpori conveniens alimen-
« tum [1]. »

266. Quærit. 3° An et quale sit peccatum actum conjugalem mente adultera exercere ?

Resp. Certum est mortaliter peccari si conjux utatur matrimonio cum affectu ad alienam : secus, juxta Sanchez et Sporer, si se excitaret ad copulam, delectando de pulchritudine alterius personæ, sine tamen turpi affectu ad illam. At, inquit S. Liguor. [2], hoc est valde periculosum, et non permittendum ; sicut permitti non debet sponsis se excitare ad coitum respiciendo sacras imagines, quod recte Croix dicit mortale propter gravem irreverentiam.

An autem liceat marito delectari de cogitata copula aliena, ut se excitet ad coitum cum uxore? — Hæc cogitatio de mortali non excusatur a S. Liguor. si sit de persona determinata; secus videtur sentire si de indeterminata. Rejiciendam tamen declarat sententiam Arriagæ, qui probabile reputat marito esse licitum se delectari de copula cogitata inter ipsum et alienam ; et ratio est quia talis delectationis objectum est intrinsece malum.

§ II.

De legitimitate debiti conjugalis in casibus dubiis.

267. Quærit. 1° An in dubio de valore matrimonii liceat conjugibus petere aut reddere debitum?

Resp. 1° *Quoad debiti redditionem*, certum est, durante dubio, sive istud præcesserit conjugium, sive ipsi supervenerit, teneri conjugem dubitantem reddere debitum alteri bona fide petenti ; constat cap. *Dominus*, *de secundis nuptiis :* « Sane super matrimoniis quæ, quidam ex vobis,
« nondum habita obeuntis conjugis certitudine, contra-
« xerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secun-
« das nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod
« ab hac vita migraverit conjux ejus. *Si vero aliquis hoc*

1. S. Liguor., lib. 6, n° 912.
2. *Ibid.*, n° 913.

« *non servaverit... et de morte conjugis adhuc existimat* « *sibi dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget* « *postulanti*, quod a se tamen noverit nullatenus exigen-« dum. » Ratio est, inquit S. Liguor. [1], « quia in dubio « nemo privandus est suo jure certo quod bona fide possi-« det, ut communiter docent DD. cum Sanchez.. Salmant., « etc. »

Et hoc, pergit idem, etiamsi adsit opinio probabilis pro invaliditate secundi matrimonii, quin ulla adsit pro ejusdem valore, quia secundus vir non est expoliandus suo jure certo nisi habeatur certitudo de vita primi viri : quod probatur cap. *Inquisitioni, de sentent. excomm.*, ubi dicitur : « Inquisitioni tuæ respondentes, credimus distin-« guendum, utrum alter conjugum pro certo sciat impe-« dimentum conjugii, an non sciat pro certo, sed credat : « in primo casu, debet potius excommunicationis senten-« tiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium « peccatum operari mortale ; in secundo, distinguimus « utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi « et temeraria, an probabili et discreta : et quidem ad sui « pastoris consilium, conscientia levis et temerariæ cre-« dulitatis explosa, licite potest, non solum reddere, sed « exigere debitum conjugale ; verum cum conscientia pulsat « animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis « non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere po-« test, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra « legem conjugii, vel contra legem conscientiæ committat « offensam. »

Idem constat ex D. Thoma [2] : « *aut habet* (conjux) *certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem : si primo modo, nec exigere nec reddere debet ; si secundo, debet reddere, sed non exigere.*

268. Supponitur tamen quod alter conjux habeat jus petendi ; unde sponsus dubitans, antequam possit deponere dubium [3], non potest reddere debitum primo bimestri,

1. *Ibid.*, n° 903.
2. In 4, dist. 41, q. unica, art. 4.
3. Secus, deposito dubio post sufficientem diligentiam (Sanch., lib. 2, disp. 41, n° 48, in fine).

etiamsi petens sit in bona fide, quia tunc sponsi non habent jus petendi ; et idem est dicendum si per adulterium aut incestum petens sit privatus eodem jure petendi [1] ; item si ipse petens dubitet, quia ipse pariter, dubio non deposito, jus petendi non habet [2]. — Controvertitur autem an hujusmodi jure privetur qui scienter baptizat, vel de sacra fonte suscipit propriam prolem extra casum necessitatis : communius affirmatur, sat tamen probabiliter negatur juxta S. Liguor [3].

269. Resp. 2° *Quoad debiti petitionem* : vel matrimonium bona fide fuit contractum, at nonnisi eo contracto dubium de ipsius validitate supervenit, vel dubia fide fuit initum : in primo casu si, adhibita diligentia, dubium vinci nequeat, controvertitur an liceat tunc dubitanti debitum petere: *Prima sententia* negat, et hujus sententiæ certo videntur esse S. Thomas et S. Bonaventura, ap. S. Liguor. [4], et in probationem afferunt præfatum cap. *Inquisitioni*. — *Secunda sententia*, quam longè probabiliorem habet idem S. Liguor., affirmat. Ratio datur, quia is qui bona fide matrimonium contraxit non est privandus suo jure quod possedit petendi, donec constet de conjugii nullitate : possessor enim bonæ fidei, licet adhibita diligentia adhuc dubitet, rem potest retinere, eaque etiam uti ob principium *quod in dubio melior sit conditio possidentis*. Confirmatur cap. *Laudabilem*, *de frigid. et malef.*, ubi, in dubio de valore matrimonii propter dubietatem potentiæ conjugum, ipsis, ut constet de impotentia, conceditur triennium, ut supra diximus (251), ad debitum petendum. — Quoad textum c. *Inquisitioni* in contrarium allegatum, respondetur quod prohibitio petendi in eo facta, sit intelligenda ante adhibitam diligentiam ; et hoc sat probabiliter, juxta Liguor. [5], est dicendum, etsi conjux dubitans nullam habeat rationem probabilem pro valore matrimonii, modo

1. S. Liguor., lib. 6, n° 904, in fine.
2. Sanchez, *ibid.*, n° 55.
3. Lib. 6, n° 150.
4. Lib. 6, n° 904.
5. *Ibid.*, n° 905.

rationem solum probabilem habeat de ipsius invaliditate; quia adhuc tunc non est certus de ea, nec est proinde privandus suo jure petendi quod habet per bonæ fidei possessionem : hoc denuo confirmatur eodem cap. *Laudabilem* : nam sponsis dubitantibus de potentia, integri triennii experientia ipsis a jure conceditur, licet forte post biennium probabilissime constet de impedimento, eo quod rei certitudo nondum juridice constet. — Observat tamen S. Liguor., quod si conjux dubitans habeat rationes ita convincentes de nullitate matrimonii ut de ea fundent moralem certitudinem, tunc certe nec petere, nec reddere potest. « Item recte advertit Croix... quod dubitans, si « adhuc spem prudentem habet inveniendi majorem cer- « titudinem, tunc nequit petere, quia, cum dubium adhuc « est vincibile, non potest uti jure petendi. »

270. In secunda hypothesi nempe si contractum fuerit matrimonium cum dubia fide de ipsius validitate, certe quidem tunc dubitans ante diligens examen haud potest matrimonio uti. — Controvertitur vero an hoc ipsi liceat post diligentiam sufficienter adhibitam : *sententia communior* negat cum Salmantic. Sanchez, etc., et probatur cap. supra relato *Dominus*, et hac ratione quod nemini liceat uti re quam mala fide possidere incœpit. *Alia* est tamen *sententia* affirmans, quam sat probabilem reputat S. Liguor.[1]. Ratio est, quia etsi dubitans nequeat in casu dubium deponere titulo possessionis, id tamen potest efficere alio juris principio, nempe quod *in dubio standum sit pro valore actus* (Cap. fin. *De sent. et re judicata*). — Contradicit quidem cap. *Dominus*, sed id caput solummodo loquitur de dubio circa mortem prioris conjugis; proinde in cæteris dubiis, post diligens examen, ipsemet conjux, qui dubia fide contraxit, poterit dubium deponere, et postea debitum petere, etsi hoc idem ipsi non liceat quandiu certus non est de morte prioris conjugis.

Plures DD. tamen dicunt hoc esse licitum, si adesset probabilitas de hujusmodi obitu : hoc autem non admittit

1. *Ibid.*, n° 906.

S. Liguor., n° 906 suæ theologiæ moralis, etiam in cas quo nuptiæ bona fide fuerunt initæ, nisi petens certitudinem haberet de hac nece, vel saltem tantam præsumptionem quæ certitudinem moralem constituat, quia in ta casu possidet prius matrimonium; hocque certe ad minu conformius videtur cap. *Dominus* supra relato (267).

271. Quandonam quis debeat necne dubitare de valor matrimonii, tres dantur regulæ a S. Liguorio [1] : « *Prim* « quod conjux, ordinarie loquendo, non tenetur creder « alteri asserenti ficte consensisse, licet asserat cum jura« mento. Bonac. Sanch., Sotus, Salmantic., etc., ex cap « *Cum a nobis, de testibus.*—*Secunda* quod si quis audi « adesse impedimentum a personis non fide dignis vel e « fama a nullo auctore certo exorta, nec tenetur credere.— « *Tertia* quod si audiat a fide digna, aut per famam e « certo auctore, tenetur veritatem inquirere, et interi « abstinere a nuptiis, aut a petendo; sed tenetur redder « si unus tantum adsit testis, ut Nav., Sylv., Salm.-Cæ« terum in dubio semper judicandum est pro matrimoni « Sanch., Pontius et alii communiter. »

An autem conjux dubitans debeat alteram partem monere de suo dubio, ordinarie hoc expedire non videtur. De quo vide Carrière, *Compendium de Matrim.*, n° 273.

§ III.

De legitimitate actus conjugalis in quibusdam aliis circumstantiis.

272. Loquendum nobis est in hoc paragrapho de certis actus conjugalis circumstantiis, quæ vel personam conjugum hunc actum exercentium, vel modum seu situm quo peragitur, vel tempus quo impletur, aut locum ubi exercetur, respiciunt.

1. *Homo Apostolicus*, Tract. 18, n° 37.

PUNCTUM I.

DE CIRCUMSTANTIIS PERSONÆ.

273. Conjuges impediri possunt a petendo debito ratione vel voti, vel affinitatis, vel cognationis spiritualis post matrimonium contractæ, vel ob excommunicationem, vel tandem ob periculum vitæ aut sanitatis.

1° Etiam sub gravi illicitum est conjugi debitum petere ratione voti, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis: potest tamen sponsus tunc petere, juxta communem sententiam, si adsit periculum incontinentiæ in altero conjuge; imo ad id tenetur, juxta plures à S. Liguor. citatos[1], quia ad hoc obligantur conjuges ex institutione conjugii. Item, juxta communem sententiam, petere potest conjux impeditus, si alter exigat etiam interpretative, prout sæpe contingit in muliere quæ propter verecundiam non audet explicite exigere, et vir tamen *sentit*, ut ait S. Thomas[2], *ejus voluntatem de debiti redditione*. — Quoties autem tali impedito liceat sic se offerre, id pensandum est ex circumstantiis. — Si vero conjux consenserit voto alterius, non poterit impeditus voto sic se offerre, nisi altera pars esset in periculo incontinentiæ, in quo casu id ipsi licet, quia tunc ad hoc tenetur ex institutione matrimonii.

An autem conjugi impedito liceat petere, si sit ipse in periculo incontinentiæ, quidam affirmant, maxime si sit impeditus causa affinitatis vel cognationis spiritualis, et commode dispensatio haberi haud possit; negant vero plures alii eo quod periculum incontinentiæ sit quidem justa causa obtinendi dispensationem, non autem coeundi. — Non improbabile tamen reputat S. Liguor., quod hoc sit licitum, casu quo magnum est periculum incontinentiæ, et de brevi dispensatio obtineri nequit : quia leges ecclesiasticæ non obligant cum tanto incommodo.

1. Lib. 6, n° 930.
2. In 4a, Dist. 38, q. 1, art. 3; vel : 4, q. 64, art. 2, 0.

Si uterque conjux affinitatem contraxerit, neuter potest debitum petere, et neuter proinde reddere tenetur, imo nec potest [1].

Nota tamen quod ad incurrendam hanc pœnam requiritur ut conjux peccet cum scientia legis ecclesiasticæ illam statuentis. Ita probabilius S. Liguor. lib. 6, n° 1072, et a fortiori cum scientia facti, ibid., n° 1073. Probabilius etiam excusatur qui peccavit ob gravem metum. Ibid, n° 1071.

Potest autem non tantum reddere, sed etiam petere conjux vovens religionem ingredi vel sacros ordines suscipere post obitum uxoris ; nec ad hoc dispensatione indiget, cum nihil tunc contra votum agat [2].

274. 2° *Casu excommunicationis.* Certe non excommunicatus potest debitum ab excommunicato petere; id concessit Gregorius VII cap. *Quoniam multos*, causa II, q. 3. — An autem liceat excommunicato petere? Quidam negarunt, sed juxta communem et veriorem sententiam, id ipsi licet in periculo incontinentiæ, ob rationem quod leges ecclesiæ non obligant cum tanto incommodo [3].

275. 3° Per se non licet debitum petere cum periculo sanitatis si nempe alteruter conjugum lepra, peste, morbo gallico, phthisi, aut alio morbo contagioso laboret : vitæ enim suæ aut incolumitatis nemo est dominus. Probabiliter tamen dicunt plures quod si morbus esset diuturnus, nec mortem proxime inferens, non esset illicitum sano petere ex justa causa, fovendi nimirum amorem conjugalem, incontinentiam in se vel in alio vitandi ; secus autem, si ageretur de morbo qui solet de brevi et facili mortem inferre, ut pestis et lepra leonina qua frustatim membra decidunt.

Advertit autem S. Liguor. [4] quod conjux infectus morbo gallico aut alio similiter contagioso non debeat petere,

1. P. Gury., t. 2, n° 812, 7°.
2. P. Gury, *ibid.*, n° 910.
3. S. Liguor., lib. 6, n° 931 ; et *Homo Apostolicus*, tr. 18, n° 41, in fine.
4. Lib. 6, n° 909.

imo nec reddere nisi prius suum alteri vitium manifestaverit, alioquin teneretur de impensis pro curatione; sed probabiliter ad has impensas mulieres non tenentur, nisi requisitæ suum morbum celarent.

Non licet debitum petere statim a balneis vel a sectione venæ, eo quod tunc coitus sit notabiliter periculosus. — Idem dicitur de coitu cum laborante febri. Sed, quidquid dicant nonnulli, non videtur illicitum petere statim post prandium, nisi quis hoc sibi graviter esse noxium fuisset expertus [1].

PUNCTUM II.

DE CIRCUMSTANTIA MODI VEL SITUS.

276. « Situs naturalis est ut mulier sit succuba et vir « incubus: hic enim modus aptior est effusioni seminis « virilis et receptioni in vas femineum ad prolem procre- « andam » [2]. Unde si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere, vel præpospere more pecudum, vel si vir sit succubus et mulier incuba, innaturalis est.

Controvertitur an præfati modi coeundi damnandi sint de mortali? De omnibus alii affirmant; alii tantum de duobus ultimis; communiter autem negatur de omnibus, diciturque eos modos non excedere venialem culpam, eo quod in iis non impediatur generatio, cum semen viri non recipitur in matricem per descensum sed per attractionem: virile enim semen naturaliter ex se matrix attrahit. Unde S. Thomas ait: *In secundo modo* (quo mutatur situs naturalis) *non semper est peccatum mortale, sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ:* puta si ex affectu bestialitatis, vel sodomiæ, vel si hujusmodi haberetur ut finis ultimus.

Ex sententia communi minime peccant conjuges si ex justa causa situm mutent, nempe ob ægritudinem, vel viri pinguedinem, vel ob periculum abortus aut scandali: quandoque, ait S. Thomas, sine peccato esse potest quando dispositio corporis alium modum non patitur.

1. S. Liguor., *ib.*, nº 910.
2. S. Liguor., *ibid.*, nº 917.

Mortaliter vero peccaretur si experientia constaret nihil seminis retineri ob mutationem situs propter naturalem aliquam infirmitatem. — Secus, si non ob mutationem situs, sed ob infirmitatem mulieris hoc contingeret : vide supra (239).

Si autem pars tantum seminis ob mutationem situs decideret, reliquo intra vas sufficienter ad generationem retento, mortale quidem hoc Salmantic. asserunt, quia prodigere semen sine rationabili causa nequit a mortali excusari ; S. Liguor. tamen damnare non audet Sanchezii et quorumdam aliorum sententiam dicentium hoc non esse nisi veniale : nam, etsi graviter sit illicitum semen extra vas effundere sine justa causa, non est idem dicendum si permittatur tantum ut intra vas non retineatur, quia in hoc casu per accidens hoc evenit, cum matrix tunc attrahit quod est sufficiens ad generationem, et reliquum ut superfluum rejicit.

277. Cavere autem debent confessarii ne quæstiones multiplicent circa varios hosce modos copulandi. Ubi casus occurrit, sufficienter bono animorum providere poterunt si certi fiant duntaxat : 1° quod pollutio completa fuerit extra vas ; 2° quod intervenerit sodomia [1].

An autem conjux teneatur debitum reddere si alter illud situ innaturali petat absque justa causa, dicemus infra (298).

PUNCTUM III.

DE CIRCUMSTANTIA TEMPORIS ET LOCI.

278. De circumstantia loci satis diximus supra (120).

Quoad vero circumstantiam temporis, vel est prægnationis, vel lactationis, vel menstrui, vel purgationis, vel alicujus festi, vel sacræ communionis.

279. 1° *Tempore prægnationis* coire non esse mortale quoties abest periculum abortus est commune. Constat ex S. Augustino, qui ait : [2] *Conjugalis concubitus generandi*

1. Gury, *ibid.*, n° 912, 3°.
2. *De Bono conjugum*, c. 6.

gratia non habet culpam : concupiscentiæ vero sedandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem tori, venialem habet culpam. Item ex S. Thoma a S. Liguor. relato [1].

Controvertitur autem an coitus sit tunc venialis : *mihi*, inquit S. Liguor [2], *arridet sententia... quod coitus cum prægnante non potest excusari a culpa veniali, nisi adsit periculum incontinentiæ, vel alia honesta causa.*

Mortale vero esset si adesset periculum abortus, prout ratione patet. Dicunt DD. quidam fore hujusmodi periculum circa conceptionis initium, quia tunc, nondum formato fœtu, facile semen dispergi posset per reserationem matricis ; sed alii negant existere ordinarie hoc periculum, quia, recepto semine, matrix arctissime constringitur, nec ordinarie per coitum reseratur, ut experientia constat. Evanescit præsertim periculum tempore partui proximo, eo quod tunc fœtus ita secundinis involvitur ut, quamvis matrix aperiretur, nullatenus semen fœtum posset attingere, nec proinde illi nocere, aut ipsum suffocare. Ad amovendum tamen omne prolis suffocationis periculum, licet coire tunc modo innaturali, ut jam diximus (276).

280. 2° An *tempore lactationis* liceat coire est pariter controversum. — Alii negant, præsertim ob cap. fin., Dist. 3, in quo S. Gregor. ait : *ad ejus vero concubitum vir accedere non debet, quousque qui gignitur ablactetur.* Ratio est quia adest periculum si uxor concipiat, quod proles detrimentum exinde patiatur. Communissime tamen DD. prædicta S. Gregor. verba de solo consilio interpretantur : unde affirmant licitum esse hujusmodi concubitum, quia a nulla lege interdicitur ; et quia rarum est quod lac tunc inficiatur, eo usque saltem ut teneantur conjuges tanto tempore usu conjugii se abstinere cum incontinentiæ continuo periculo ; eo casu idem videtur esse dicendum ac de præcedenti ; nec debent conjuges uti matrimonio si revera sit grave periculum proli notabiliter nocendi [3] : sed hoc non solet frequenter accidere.

1. Lib. 6, n° 924.
2. *Ibid.*
3. S. Liguor., *ibid.*, n° 911.

Excipitur tamen a quibusdam casus si pro pretio mulier, marito consentiente, lactet alienam prolem: quia tunc contractus cum parentibus hujusmodi infantis initus violaretur: solent enim ægre pati parentes nutricem esse gravidam. Ita Sættler [1], et RR. DD. Bouvier [2]; sed a peccato immunes omnino videntur conjuges si, nutrice gravida effecta, infans suis restituatur parentibus.

281. Quoad *tempus menstrui*, observant DD. duplicis speciei esse fluxum menstrualem, ordinarium quippe seu naturalem, qui *menstruus* proprie dicitur, quia, singulis mensibus, solet accidere in feminis, duratque ordinarie per duas vel tres dies tantum; et alium extraordinarium, ex aliquo morbo procedentem, qui ad dies duodecim, vel ultra, aliquando perstat.

Certum est, tempore menstrui extraordinarii, licitum esse conjugibus tam reddere quam petere debitum. Ita communiter cum S. Thoma: ratio est quia nimis onerosum esset viro, cum hujusmodi fluxus sit fere perpetuus, tanto tempore se abstinere [3].

Quoad tempus menstrui ordinarii, tres sunt sententiæ: *Prima* damnat coitum de mortali et nititur: 1° *Levit.*, c. 20, v. 18, ubi dicitur: *qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficiantur.* Porro etsi fuerit ceremonialis illa lex quoad immunditiam, moralis tamen fuit quoad periculum proli nocendi, ait S. Thomas, proinde non abrogata; 2° ex can. fin. dist. 5, Decreti, ubi Gregorius Papa ait quod, *in consuetis menstruis viris suis misceri prohibeantur* mulieres; 3° hac ratione quod ex tali coitu periculum est ne proles nascatur leprosa vel monstruosa, vel ut plurimum, ne semen frustra effundatur, cum mulier tunc non sit generationi apta.

Secunda sententia dicit accessum ad menstruatam omni culpa carere, quia nulla lege hodie hoc est prohibitum, cum Levitica lex sit hodie antiquata, nec moralis sit hæc

1. Opere pluries citato, p. 124.
2. *In sextum*, p. 174.
3. S. Liguor., lib. 6, n° 925.

prohibitio: juxta enim S. Hieronymum, ideo facta fuit hæc prohibitio, quia tunc ex tali coitu proles sæpe nascebatur leprosa; sed incertum est an id hodie accidat, multoque certius est, menstrui tempore, mulierem non concipere, et, posito quod concipiat, melius proli erit nasci cum defectuositate quam non existere. — Nec etiam prohibetur jure ecclesiastico, cum præfatus canon Gregorii in desuetudinem abierit. — Quoad vero periculum ne semen frustra effundatur hoc non magis illicitum reddit coitum quam si mulier esset prægnans aut sterilis.

Tertia tandem *sententia*, quæ probabilior et communissima a S. Liguorio vocatur, dicit coitum, tempore menstrui, non esse quidem mortalem, non tamen a veniali excusari. Quod non sit mortalis, probatur ex adductis momentis pro secunda sententia; quod vero sit venialis, hac ratione probatur quod sit quædam deordinatio non expectare tempus quo mulier fiet apta commodæ receptioni et retentioni seminis, et modo qui minus fini generationis convenit sine justa causa coire. Nullum autem esset peccatum si justa adesset causa sic coeundi, ad vitanda nempe dissidia, vel incontinentiam, aut alia similia.

Etsi maritus a muliere monitus nolit se desistere, probabilius est, juxta S. Liguor, non teneri uxorem menstruatam debitum reddere, si non adsit causa sufficienter actum cohonestans.

282. Notandum Croix dicere quod non sit licitum debitum petere a muliere laborante gonorrhæa, seu profluvio seminis dicto *fluxo albo*. Sed hoc non admittit S. Liguor.[1], quia talis copula neque viro, neque mulieri nocet, et grave aliunde esset incommodum conjugibus, propter hujusmodi fluxum, qui solet esse fere perpetuus, se abstinere. — Viro autem laboranti fluxu seminis semper licet petere, quia nullum damnum hoc affert nec ipsi, nec uxori, nec proli.

283. 4° *Per tempus purgationis* intelliguntur dies qui partum subsequuntur. Juxta legem mosaicam, mulieres arcebantur ab ingressu templi per 40 dies post partum

1. *Ibid.*, n° 910.

masculi, et per 80 dies post feminæ partum : quo tempore etiam usus matrimonii interdictus fuisse conjugibus putatur. Porro etsi hæc lex ritualis sublata per novam legem fuerit, controvertitur tamen an etiam hodie usus matrimonii sit post partum interdictus; et circa hanc quæstionem tres sunt opiniones satis identicæ cum præcedentis dubii sententiis. Tertiam vero opinionem quæ negat in hoc adesse grave peccatum, tenet tamen adesse veniale, S. Liguor. ut probabiliorem et communiorem habet: peccatum mortale non reputat, quia non est in hoc tanta indecentia quæ lethalem culpam inducat; est tamen veniale, quia continet aliquam indecentiam : ab illa autem indecentia excusat causa honesta, periculum nempe dissidii, incontinentiæ, etc. Posset etiam aliquando in hoc adesse culpa gravis, si nempe ex concubitu gravis morbus, vel notabilis morbi aggravatio immineret, quod maxime esset timendum si coitus haberetur statim post partum, vel eodem die aut sequenti[1].

284. 5° Diebus festivis, aut jejuniorum, aut rogationum, aut adventus, non est vetitum reddere debitum. Ita communiter. Controvertitur utrum liceat petere. *Prima sententia* dicit esse vetitum sub veniali; hancque tenent S. Thomas, S. Anton. cum aliis pluribus: ratio quam affert S. Thomas est quod *actus matrimonialis, quamvis culpa careat, tamen, quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideo in diebus, quibus spiritualibus præcipue est vacandum, non licet petere debitum. — Secunda sententia* communior negat esse illicitum, quia nullo jure prohibetur, et, non obstante congressu maritali, impleri potest præceptum de sanctificandis diebus festivis. Canones vero et SS. Patres qui hoc damnare videntur de consilio sunt intelligendi[2].

285. 6° Controvertitur an copula conjugalis obstet Eucharistiæ receptioni. Communiter autem tenetur esse veniale si copula habeatur causa voluptatis, quia adest in hoc indecentia. Ita cap. *Si vir cum propria*, Causa 33, q. 4:

1. S. Liguor., *ibid.*, n° 926.
2. S. Liguor., *ibid.*, n° 923

Ab hac vero indecentia excusat solemnitas occurrens, scandalum vitandum, periculum ne notetur conjux a sacra mensa se abstinens, indulgentia lucranda, specialis devotio, etc.[1]. — Si copula habeatur absque culpa, puta causa generandæ prolis, certum est apud omnes, esse tantum consilii se abstinere ea die a communione. Ita præfatus canon in quo S. Gregorius ait : *si quis sua conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum procreandorum gratia utitur, iste profecto de sumendo corporis Domini mysterio suo est relinquendus judicio.* —Licet etiam uti conjugio post communionem, modo non immediate post[2]. —Quoad debiti redditionem, etsi, juxta quosdam, conjux reddens debitum debeat illa die a communione abstinere, sententia tamen communis tenet hoc esse consilii tantum, quia est solutio debiti, et per obligationis impletionem sat compensatur et cohonestatur evagatio mentis a copula exorta. Unde S. August., super ps. 149, ait : *Si non exigis, redde : pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur uxori.*

Exhinc sequitur uxorem non esse immunem ab obligatione debitum reddendi ratione Eucharistiæ suscipiendæ : honestis tantum precibus, non vero importunis, potest petere ut copula differatur. Quod ipsi tamen non est consulendum, si propter hoc deberet mariti indignationem provocare, vel si frequenter communicare soleret[3].

ART. II.

DE OBLIGATIONE ACTUS CONJUGALIS.

286. Nulla quidem lege conjuges tenentur matrimonio uti, cum sit unicuique liberum suum jus exigere aut remittere. Obligantur tamen sub gravi sibi mutuo reddere debitum, cum ad id contrahendo se astringant tradendo sibi

1. S. Liguor., lib., 6, nis 270 et 922.
2. P. Gury, *Compendium*, t. 2, no 914, 7o.
3. S. Liguor., *ibid.*, no 274.

invicem potestatem corporum in ordine ad generationem: *Uxori vir debitum reddat*, inquit Paulus (1 *Cor.* c. 7. v. 3); *similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.*

287. Hæc tamen obligatio in certis casibus non urget, nempe: 1° primo bimestri quo etiam conjugibus permittitur ad religionem transire; 2° cessat ex parte innocentis si altera pars adulterium commiserit: frangenti enim fidem fides amplius non debetur; et constat insuper ex ipsismet verbis Christi dantis licentiam dimittendi uxorem causa fornicationis, *excepta fornicationis causa* (S. Matth., c. 5, v. 32); 3° si petens commiserit scienter incestum cum consanguineis alterius intra secundum gradum. — Tenetur tamen incestuosus debitum innocenti reddere, nisi iste aliunde jure petendi privaretur, in quo casu reddendo etiam peccaret incestuosus.

Juxta communissimam sententiam, non est obligatio reddendi amentibus aut ebriis, cum isti incapaces sint juris: excipe nisi sint in periculo prodigendi semen, vel si non sint universe amentes, aut non omnino ebrii. Communiter tamen admittitur iisdem posse reddi, si absit periculum scandali aut abortus, quod certe adesset si uxor esset furiosa [1].

288. Gravis habenda est obligatio reddendi debitum, quia ipsius objectum velut quid grave in materia justitiæ communiter reputatur.

Quamvis regulariter neuter conjugum teneatur debitum petere, per accidens tamen ad id maritus obligari potest, nimirum si uxor tacite exigat, suum desiderium quibusdam signis ostendendo: in mulieribus enim, ob innatam verecundiam, sola signa tanquam vera petitio habenda sunt, juxta communem sententiam. — Secus est dicendum quoad virum: uxor enim non tenetur ei debitum reddere nisi is expresse exigat. Excipe nisi esset valde pusillanimus aut verecundus, et uxor magnæ auctoritatis, aut non erubescentis naturæ [2].

1. *Homo Apostolicus*, tr. 18, n° 49.
2. S. Liguor., lib. 6, n° 928.

289. Imo non solum vir sed etiam uxor tenetur suo modo debitum petere, si alter conjux sit in periculo incontinentiæ. Ita communiter; — controvertitur autem an ad id conjuges teneantur ex justitia vel ex charitate, et ob hanc controversiam concludit S. Liguorius [1] ad id non teneri conjuges cum magno incommodo: unde probabiliter uxor ab hac petitione excusatur, si propterea magna verecundia afficiatur.

290. Pacisci possunt conjuges de non utendo matrimonio, et tunc cogi nequeunt ad debitum reddendum; sed hoc pactum possunt mutuo consensu rescindere, non vero unus altero invito. — Cæterùm hoc pactum raro expedit, et si initum fuerit, superveniente incontinentiæ periculo, remitti debet ex charitate, saltem ad tempus, ut per copulam compartis incontinentia impediatur [2].

291. Quærit. 1° An peccet graviter conjux una vel altera vice negans debitum?

Resp. Duas esse sententias: *Prima* negat, modo pollutionis seu incontinentiæ absit periculum, quia id gravis materia non videtur. — *Secunda* affirmat, etiam remoto pollutionis periculo, quia hæc materia sat gravis est reputanda, tum ratione prolis, quæ ex unica copula nasci potest, tum ob discordiam et periculum incontinentiæ, quæ exhinc subsequi solent. — Prima S. Liguorio non videtur improbabilis, eo quod materiæ gravitas ab hominum existimatione sit pensanda, et multi graves auctores huic adhæreant; quoad vero prolis procreationem, dici potest esse in casu valde incertam.

292. Consentiunt vero DD. non peccare uxorem negando, si vir benevole remittat, aut remisse petat, vel si ipsa neget cum justa causa. Peccat vero si vir non remittat nisi quasi coactus importunis precibus; et mortale tunc erit peccatum si ipse in periculo esset incontinentiæ, nisi renuendi uxor gravem et justam causam haberet.

Non autem peccat conjux identidem negando, si alter extra incontinentiæ periculum immoderate petat; sic juxta

1. Lib. 6, n° 929.
2. Sætler, *ibid.*, p. 133.

plures, non esset mortale post tertiam in eadem nocte copulam, quartam negare. Non tamen S. Liguor. approbat quosdam DD. asserentes mortale non esse semel negare in mense ei qui, quinquies tantum, eodem temporis spatio exigit [1].

Nec creditur etiam peccare uxor si, absque incontinentiæ periculo, ad breve tempus reddere differat, ad noctem nempe, vel si a nocte differat ad mane. Ipsi tamen non licet negare in nocte copulam, post habitam in die [2].

293. Quærit. 2° An debitum negandi sit justa causa quando plures nascuntur filii quam conjuges alere possunt?

Resp. Omnes convenire esse tunc obligationem reddendi debitum si adsit in altero periculum incontinentiæ. — Extra hunc casum duplex est sententia. *Prima* negat, quia procreatio prolis est præcipuus matrimonii finis, cui postponi debet quodvis incommodum: melius est enim ut vivat proles inops quam si nullatenus existat. Præterea aut conjux negaret diu, aut solummodo ad tempus: si diu, exponeret alterum periculo incontinentiæ; si ad tempus tantum, frustra negaret, cum rarius coeuntes facilius concipiant. —*Secunda* affirmat, quia multiplicatio futuræ prolis in detrimentum cedit jam genitorum; porro in omnibus debitis magna difficultas a solutione excusat. — Ob periculum incontinentiæ, quod vix abesse potest, prima sententia magis arridet S. Liguorio, ideoque illam amplectitur [3].

294. Quærit. 3° An conjux teneatur reddere cum gravi damno suo aut prolis?

Resp. 1° Certum est 1° teneri conjuges ad reddendum cum levi suo damno: præponderat enim lex justitiæ obligans tunc sub gravi ob materiæ gravitatem. ita communiter. Unde, juxta cap. 2, *De conjuge leproso*, tenetur conjux etiam leproso reddere, eo quod copula, cum brevi fiat, non infert imminens infectionis periculum (non

1. Lib. 6, n° 940.
2. S. Liguor., *ibid.*, n° 940.
3. *Ibid.*, n° 941, et *Homo Apost.*, tr. 18, n° 45.

tamen juxta S. Thomam tenetur conjux cum leproso cohabitare, quia majus est infectionis periculum ex frequenti cohabitatione quam ex coitu). Excipiendum si medicorum judicio adsit tunc notabile infectionis periculum, aut impossibile sit conjugi horrorem superare [1].

Certum est 2° conjugem non teneri reddere cum gravi propriæ vitæ aut sanitatis periculo. Ita communiter post S. Thomam [2]. Imo nec etiam tunc potest reddere, cum nemo sit dominus vitæ suæ. Nec etiam licitum est reddere si grave damnum petenti immineret, nisi timeretur ab altero proximum occisionis periculum.

Probabiliter tamen licite reddere potest 1° si ad bonum commune proles sit necessaria; 2° si in probabili incontinentiæ periculo conjux infectus existeret : ad hoc tamen sanus non teneretur, sed id tantum ipsi liceret : quia, etsi homo non sit dominus vitæ suæ, potest tamen propter charitatem illam exponere; 3° si redderet ad vitanda magna dissidia, vel ad conjugalem amorem fovendum, aut vitandam propriam incontinentiam: quo in casu posset etiam petere. — Hæc tamen sunt intelligenda si morbus sit diuturnus et quasi habitualis, ut lepra, morbus gallicus, etc.; et de illis non sit qui mortem de brevi et facili solent inferre, ut pestis, lepra leonina; 4° si conjux sanus mediis præservativis possit vitare contagionis periculum.

Nec ipse infectus potest legitime reddere cum periculo salutis alterius licet iste non ignoret. Excipiendi sunt tamen casus modo memorati [3].

295. Non excusatur a debito reddendo uxor ob ordinaria graviditatis, partus, aut nutritionis incommoda, nec ob dolores moderatos, etsi diuturnos, v. g. capitis per plures menses post partum, nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam; imo nec ob dolores graves quidem sed non diuturnos : quia hæc conditioni matrimonii sunt adnexa [4].

1. S. Liguor., lib. 6, n° 950.
2. Apud S. Liguor., *ibid.*, n° 953.
3. S. Liguor., *ibid.*
4. P. Gury, *Compend.*, t. 2, n° 916, 5°.

296. Resp. 2° Quoad prolem, quidam DD. negant esse licitum conjugi petere cum prolis damno; sed communiter et verius affirmatur hoc non esse vetitum, quia ut ait S. Thomas, *melius est eam prolem esse infirmam quam penitus non esse*. Imo Laymann dicit quod bene possit uxor debitum petere, licet sit experta filios parere mortuos, quia per accidens hæc mors evenit, et puero melius est sic nasci quam nullatenus existere; sed plures hoc negant, quia tunc mater magno vitæ periculo exponitur. Hoc iidem tamen permittunt si perpetuo deberent conjuges se abstinere, ob magnum in quo essent incontinentiæ periculum [1].

297. Quæres. 1° An conjux teneatur aut possit reddere illicite petenti?

Resp. Certum est conjugem nunquam teneri reddere cum proprio peccato etiam veniali, cum nemo possit esse obligatus ad peccandum.

Utrum vero teneatur vel ipsi liceat reddere illicite petenti? — Circa hanc quæstionem duplex casus distingui debet: conjux enim potest illicite petere, vel cum peccato mortali, vel solummodo cum veniali.

In *primo* casu, si culpa se tenet ex parte actus, v. g. si alter petat in loco sacro, aut publice, aut cum abortus aut sanitatis tam propriæ quam alterius periculo, omnes conveniunt non teneri conjugem, imo nec posse reddere sine gravi culpa, cum actus sit in se malus, nec habet conjux jus sic petendi [2].

Si vero culpa se tenet ex parte personæ, quia, v. g., petens est voto castitatis obstrictus, aut petit ad pravum finem, duplex tunc est sententia: *Prima*, quæ est communis, dicit conjugem non tantum posse reddere sed etiam ad id teneri, quia in casu petens non amisit jus debitum exigendi. — *Secunda* sententia dicit illicitum esse tunc reddere, nisi in potestate petentis sit se liberare a lethali circumstantia, puta si exigeret ad pravum finem: ratio

1. S. Liguor., *ibid.*, n° 951.
2. S. Liguor., *ibid.*, n° 943.

quia tunc reddens cooperatur peccato alterius qui non habet jus nisi ad licitum usum matrimonii. Hæc secunda sententia ut probabilis habetur a S. Liguor., qui tamen primam reputat probabiliorem saltem extrinsece ob innumeros auctores ita sentientes, et nititur hac ratione, quod obstrictus voto retinet jus ad petendum, ac proinde compars tenetur illi reddere, sicut debitor teneretur restituere creditori suum jus prosequenti quamvis iste votum emisisset illud non exigendi. — Nec dici potest quod reddens cooperetur peccato illicite petentis, cum illud nequeat ipse impedire, et actum licitum, imo ex justitia debitum faciat. — Tenetur tamen reddens in casu ex charitate monere ligatum voto ut a petitione desistat, modo id fieri possit absque magno incommodo. — Melius aget tunc reddens si ipse petendo præveniat ; sed raro uxores ad hoc tenentur propter verecundiam [1].

Casu autem quo vovens expresse suum jus petendi cessisset alteri, licite iste posset renuere debitum.

« Si vero petat conjux incestuosus, qui.... privatus est « jure petendi, alter non tenetur quidem, sed bene potest « ei reddere, cum ipsi semper competat jus tam petendi « quam reddendi [2]. » Ita communius et probabilius : nam aliæ sunt sententiæ, ut videri potest, apud S. Liguor. [3].

298. In *secundo casu*, quo scilicet petens exigit debitum cum peccato veniali, plures auctores dicunt generatim tunc adesse obligationem reddendi : alii tamen requirunt tunc justam causam ex parte petentis. Recte autem S. Liguor. distinguit sicut in casu præcedenti : vel nempe actus est illicitus ex parte petentis, v. g. si petat ob voluptatem, aut die quo vult Eucharistiam sumere, et tunc est obligatio reddendi, quia actus est in se licitus et debetur ex justitia. Si vero actus est in se venialiter illicitus, si nempe petatur situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, licitum quidem est tunc reddere cum justa causa actum cohonestante, v. g. ne incurrat indignationem ;

1. S. Liguor., lib. 6, nº 944.
2. *Homo Apost.*, tr. 18, nº 46.
3. Lib. 6, nº 945.

secus, absente tali causa. Nec sufficeret motivum , ut non sit conjux jure reddendi privatus : quia sicut petens non habet jus ad sic petendum, ita nec reddens ad sic reddendum.

Potest quidem conjux reddere habens justam causam, sed ad id non tenetur, cum alter non habeat jus ad sic petendum ; teneretur tamen reddere si petens haberet pariter justam causam hoc modo petendi, puta ad vitandam incontinentiam [1].

An autem uxor possit vel teneatur reddere viro volenti seminare extra vas, expendemus infra (312).

299. Ex dictis sequitur graviter peccare conjuges si se impotentes reddant etiam mediis alias licitis, v. g. jejuniis, invita scilicet comparte. Imo vir, si jejunando incapax fieret debitum reddendi, non observaret licitè jejunia Ecclesiæ. Secus est dicendum de uxore, quia difficile videtur quod impotens fiat per jejunia ad reddendum debitum conjugale : peccare tamen posset sic se deformem notabiliter efficiens [2].

300. « Notandum... quod conjuges ratione debiti « reddendi teneantur cohabitare, non solum quoad do- « mum, sed etiam quoad torum, nisi separentur ex con- « sensu, absitque tunc periculum incontinentiæ et damnum « educationis. Vir autem licite potest suscipere aliquam « brevem peregrinationem ex causa devotionis, vel alia « honesta, etiam invita uxore ; sed non uxor invito viro. « Potest imo vir etiam diu abesse, si id oporteat ad bo- « num publicum, vel familiæ. Ita communiter Sanchez... « Dicit autem Boss... cum Tolet... quod vir teneatur tunc « secum ducere uxorem, si commode possit [3]. »

1. S. Liguor., *ibid.*, n° 946.
2. S. Liguor., lib. 6, n° 942.
3. *Homo Apostol.*, tr. 18, n° 51.

ART. III.

DE PECCATIS CONJUGUM.

301. In duas classes, post P. Gury [1], illa peccata redigemus, nempe 1° in patrata per excessum seu per actus inutiles ad generationem; 2° in perpetrata per defectum, actum generationi essentialem non perficiendo.

§ I.

Peccata conjugum per excessum patrata.

302. Tria principia sunt præponenda cum eodem P. Gury [2] :

« I. Quidquid est necessarium ad actum conjugalem « complendum, aut utile ad illum facilius, citius, aut per- « fectius exercendum, est conjugibus omnino licitum. « Etenim qui habet jus ad rem, habet etiam jus ad media « necessaria vel utilia, nec aliunde prohibita : quibus « enim licitum est principale, licitum etiam est accesso- « rium et medium ad illud ordinatum.

« II. Quidquid est nocivum generationi, aut potest « procurare pollutionem extra conjunctionem naturalem, « est in omni casu graviter illicitum : ratio est quia effu- « sio voluntaria seminis non est licita nisi in ordine ad « generationem; et proinde matrimonium non dat conju- « gibus facultatem nisi ad seminis effusionem quæ gene- « rationi inservire potest : secus enim voluptatibus habenæ « laxarentur et socialis ordo subverteretur.

« III. Quidquid inutile aut indifferens est generationi, « seu ad actum generationi ordinatum, etiam remote et « indirecte procurandum, culpæ verti nequit nisi levi : a « qua tamen alii fines ejusmodi actibus intrinseci excu- « sant, nempe ut affectus conjugalis servetur ac foveatur, « et concupiscentia sedetur : quos tamen opus non est « intendere; sed sufficit ut positive non excludantur. »

1. T. 2, n° 917.
2. *Ibid.*, n° 918.

Sic autem brevius potest exprimi triplex regula præfata : « 1° Quidquid pro est licitum ; 2° quidquid contra est « mortale ; 3° quod est præter non solet esse nisi veniale. »

303. Quærit. 1° An sint mortales tactus et aspectus turpes inter conjuges si propter solam voluptatem, sine ordine ad copulam, exerceantur ?

Resp. Affirmare S. Anton., Sylvium, etc. etsi non adsit periculum pollutionis ; quia omnis actus venereus ad copulam conjugalem non relatus, est mortalis. Sententia tamen communis, quæque verior a S. Liguor. habetur[1], negat ; ratio quia status conjugalis, sicut cohonestat copulam, ita et hujusmodi actus et aspectus ; porro delectatio in copula non excedit veniale; ergo et a fortiori idem excedere nequit in tactibus et aspectibus. Et hoc etiamsi copula impediretur ob morbum, aut impotentiam supervenientem : supponitur quod non adsit periculum pollutionis ; secus autem esset dicendum si conjux esset ligatus voto castitatis, quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream voluntarie captam. — Controvertitur autem an idem sit dicendum de eo qui a copula impediretur propter affinitatem vel cognationem spiritualem ; sed in praxi debet se abstinere, ob proximum periculum pollutionis aut petitionis copulæ.

Casu quo ex his actibus turpibus prævideretur pollutio secutura in se vel in altero, triplex est sententia : *Prima* excusat ab omni culpa, modo pollutio non intendatur, nec adsit periculum ei consentiendi, aut agatur de tactu adeo turpi ut judicetur inchoata pollutio. *Secunda* distinguit inter actus pudicos et impudicos : primos, ut oscula et amplexus, excusat a peccato ; secundos vero de mortali damnat, quia non sunt instituti ad fovendum affectum conjugalem. *Tertia* autem, hos actus ut mortalia reputat, si prævideatur periculum pollutionis. S. Liguor.[2] probabilius judicat omnes actus turpes esse peccata mortalia tam in petente quam in reddente, quoties adest pollutionis periculum, nisi habeantur ut conjuges se excitent ad copulam proxime

1. Lib. 6, n° 933.
2. *Ibid.*, n° 934.

secuturam, tametsi per accidens pollutio copulam præveniat; idem sentit de actibus pudicis in hypothesi facta, si habeantur ob solam voluptatem vel ob levem causam; secus, si ob gravem, puta si adsit urgens causa ostendendi affectum ad pravam suspicionem ab altero removendam. — Improbabile tamen non est sententia asserens posse permitti passive tactus etiam impudicos, quamvis adsit periculum pollutionis, nisi tales sint ut videantur inchoata pollutio, ob rationem quod tunc culpa se tenet ex parte personæ.

Etsi quidam contradicant, verius est esse mortale pudenda immittere in os uxoris; hocque crimen ab aliquibus vocatur *irrumatio*. Vide supra (183).

304. Quærit. 2° An mortaliter peccet conjux turpiter, seorsim, altero absente, se tangens secluso pollutionis periculo?

Resp. Juxta plures auctores, hunc conjugem mortaliter non peccare, quia hujusmodi actus cohonestantur statu matrimonii, cum ex natura sua ad copulam ordinentur : unde secluso pollutionis periculo non possunt esse graviter illiciti. Alia tamen est sententia quam probabiliorem et in praxi omnino suadendam vocat S. Liguor. [1]; hæcque affirmat dictum conjugem lethaliter peccare : ratio est quia conjuges non habent jus per se in proprium corpus, sed tantum ut possint se disponere ad copulam; unde, altero absente, ipsis non licet se turpiter tangere : eo magis quod hujusmodi tactus conjunguntur sæpe cum proximo pollutionis periculo.

305. Quærit. 3° An sit mortalis in conjuge delectatio morosa de copula habita vel habenda?

Resp. Certe esset mortalis si conjux obstrictus esset voto castitatis : ratio patet. — Extra hunc casum, tres sunt sententiæ : *Prima* affirmat, quia talis delectatio est quasi pollutio inchoata, quæ sponsis non licet extra actum conjugalem. — *Secunda* communior negat, quia delectatio suam bonitatem aut malitiam sumit ex objecto; porro objectum (seu copula) est conjugibus licitum : ergo, etc.

1. *Ibid.*, n° 936.

— Putant tamen hujusce sententiæ patroni adesse in hoc culpam venialem, quia talis delectatio caret fine debito, cum non ordinetur ad copulam præsentem : probatur etiam ex S. Thoma, cujus verba apud S. Liguor. legi possunt [1]. *Tertia* sententia distinguit et negat, si delectatio fiat absque spirituum commotione, secus, si fiat cum commotione et titillatione partium.

« Ego, inquit S. Liguor., meum judicium proferam : si « delectatio habeatur, non solum cum commotione spiri- « tuum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, « sentio eam non posse excusari a mortali, quia talis delec- « tatio est proxime conjuncta cum periculo pollutionis. « Secus vero puto dicendum si absit illa voluptuosa titil- « latio, quia tunc non est delectationi proxime annexum « periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spiri- « tuum. ».

Certum est autem quod desiderium et simplex cogitatio copulæ futuræ sint conjugibus licita, prout etiam simplex cogitatio de jam habita copula absque delectatione venerea.

306. Quærit. 4°. An, viro se retrahente post propriam seminationem sed ante mulieris seminationem, possit ista statim tactibus se excitare ut seminet?

Resp. Sententiam negantem a quibusdam quidem teneri : communius vero affirmatur hoc esse licitum; quia, etsi semen mulieris non sit necessarium ad generationem, non est tamen ipsi inutile et pertinet ad complementum actus conjugalis, qui in seminatione utriusque conjugis consistit. Imo mulieri permittitur se excitare ante congressum quo facilius in coitu seminet. Dicta tamen modo dici nequeunt, vice versa, de viro, cui non est licitum se excitare ad seminationem postquam mulier se retraxit post suam propriam emissam : sic enim conjuges revera una caro non fierent, nec compleretur actus necessarius ad generationem, sed iteratus tunc congressus requiritur.

1. Lib. 6, n° 937.

§ II.

PECCATA CONJUGUM PER DEFECTUM, ET IMPRIMIS DE ONANISMO.

307. Peccant conjuges si, in usu matrimonii vel post usum, aliquid faciant quo impediatur generatio, vel quo semen receptum rejiciatur, quia agunt contra finem matrimonii : v. g., si uxor statim post copulam mingit, aut surgit, aut aliquid aliud facit animo ut semen receptum expellat. Advertendum tamen est matricem brevi tempore semen attrahere et arctissime claudi [1].

308. Quærit. 1° An mortaliter peccent conjuges si, incœpta copula, seminationem cohibeant ?

Resp. Vel in hoc ambo sunt consentientes, vel unus tantum sic agit. In *primo casu*, non adest tunc per se loquendo peccatum mortale, modo absit periculum seminandi extra vas : quia vasis feminei penetratio est proprius tactus verendorum, qui communiter non habetur ut lethale inter conjuges, secluso pollutionis extra vas periculo. Dicitur *per se loquendo*, quia solet adesse pollutionis periculum ex hujusmodi retractione, ac proinde in praxi immunes non sunt conjuges a gravi delicto, nisi experti fuerint abesse tale periculum.

In *secundo casu* certe graviter peccat conjux sic se retrahendo sine alterius consensu, eo quod istius jus lædat cum periculo pollutionis [2]. Sed quid si unus seminaverit? Potest-ne alter cohibere seminationem?

Resp. Vel conjux qui seminavit est femina, vel est vir. In *prima hypothesi*, non potest vir se a seminatione, data opera, se abstinere sine gravi culpa, quia causa est ipse ut semen mulieris prodigatur ; et idem est dicendum si ex copula femina sit in probabili periculo seminandi. Posset tamen in casu vir se retrahere ad mortem vel scandalum vitandum, etiam cum periculo pollutionis, quia tunc per

1. S. Liguor., lib. 6. n° 954.
2. S. Liguor., lib 6, n° 918.

plures, non esset mortale post tertiam in eadem nocte copulam, quartam negare. Non tamen S. Liguor. approbat quosdam DD. asserentes mortale non esse semel negare in mense ei qui, quinquies tantum, eodem temporis spatio exigit [1].

Nec creditur etiam peccare uxor si, absque incontinentiæ periculo, ad breve tempus reddere differat, ad noctem nempe, vel si a nocte differat ad mane. Ipsi tamen non licet negare in nocte copulam, post habitam in die [2].

293. Quærit. 2° An debitum negandi sit justa causa quando plures nascuntur filii quam conjuges alere possunt?

Resp. Omnes convenire esse tunc obligationem reddendi debitum si adsit in altero periculum incontinentiæ. — Extra hunc casum duplex est sententia. *Prima* negat, quia procreatio prolis est præcipuus matrimonii finis, cui postponi debet quodvis incommodum: melius est enim ut vivat proles inops quam si nullatenus existat. Præterea aut conjux negaret diu, aut solummodo ad tempus: si diu, exponeret alterum periculo incontinentiæ; si ad tempus tantum, frustra negaret, cum rarius coeuntes facilius concipiant. — *Secunda* affirmat, quia multiplicatio futuræ prolis in detrimentum cedit jam genitorum; porro in omnibus debitis magna difficultas a solutione excusat. — Ob periculum incontinentiæ, quod vix abesse potest, prima sententia magis arridet S. Liguorio, ideoque illam amplectitur [3].

294. Quærit. 3° An conjux teneatur reddere cum gravi damno suo aut prolis?

Resp. 1° Certum est 1° teneri conjuges ad reddendum cum levi suo damno: præponderat enim lex justitiæ obligans tunc sub gravi ob materiæ gravitatem. ita communiter. Unde, juxta cap. 2, *De conjuge leproso*, tenetur conjux etiam leproso reddere, eo quod copula, cum brevi fiat, non infert imminens infectionis periculum (non

1. Lib. 6, n° 940.
2. S. Liguor., *ibid.*, n° 940.
3. *Ibid.*, n° 941, et *Homo Apost.*, tr. 18, n° 45.

tamen juxta S. Thomam tenetur conjux cum leproso cohabitare, quia majus est infectionis periculum ex frequenti cohabitatione quam ex coitu). Excipiendum si medicorum judicio adsit tunc notabile infectionis periculum, aut impossibile sit conjugi horrorem superare [1].

Certum est 2° conjugem non teneri reddere cum gravi propriæ vitæ aut sanitatis periculo. Ita communiter post S. Thomam [2]. Imo nec etiam tunc potest reddere, cum nemo sit dominus vitæ suæ. Nec etiam licitum est reddere si grave damnum petenti immineret, nisi timeretur ab altero proximum occisionis periculum.

Probabiliter tamen licite reddere potest 1° si ad bonum commune proles sit necessaria; 2° si in probabili incontinentiæ periculo conjux infectus existeret : ad hoc tamen sanus non teneretur, sed id tantum ipsi liceret : quia, etsi homo non sit dominus vitæ suæ, potest tamen propter charitatem illam exponere; 3° si redderet ad vitanda magna dissidia, vel ad conjugalem amorem fovendum, aut vitandam propriam incontinentiam : quo in casu posset etiam petere. — Hæc tamen sunt intelligenda si morbus sit diuturnus et quasi habitualis, ut lepra, morbus gallicus, etc.; et de illis non sit qui mortem de brevi et facili solent inferre, ut pestis, lepra leonina; 4° si conjux sanus mediis præservativis possit vitare contagionis periculum.

Nec ipse infectus potest legitime reddere cum periculo salutis alterius licet iste non ignoret. Excipiendi sunt tamen casus modo memorati [3].

295. Non excusatur a debito reddendo uxor ob ordinaria graviditatis, partus, aut nutritionis incommoda, nec ob dolores moderatos, etsi diuturnos, v. g. capitis per plures menses post partum, nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam; imo nec ob dolores graves quidem sed non diuturnos : quia hæc conditioni matrimonii sunt adnexa [4].

1. S. Liguor., lib. 6, n° 950.
2. Apud S. Liguor., *ibid.*, n° 953.
3. S. Liguor., *ibid.*
4. P. Gury, *Compend.*, t. 2, n° 916, 5°.

296. Resp. 2° Quoad prolem, quidam DD. negant esse licitum conjugi reddere cum prolis damno; sed communiter et verius affirmatur hoc non esse vetitum, quia, ut ait S. Thomas, *melius est ei* (proli) *esse infirmam quam penitus non esse.* Imo Laymann dicit quod bene possit uxor debitum reddere, licet sit experta filios parere mortuos, quia per accidens hæc mors evenit, et puero melius est sic nasci quam nullatenus existere; sed plures hoc negant, quia tunc mater magno vitæ periculo exponitur. Hoc iidem tamen permittunt si perpetuo deberent conjuges se abstinere, ob magnum in quo essent incontinentiæ periculum [1].

297. Quærit. 4o An conjux teneatur aut possit reddere illicite petenti?

Resp. Certum est conjugem nunquam teneri reddere cum proprio peccato etiam veniali, cum nemo possit esse obligatus ad peccandum.

Utrum vero teneatur vel ipsi liceat reddere illicite petenti? — Circa hanc quæstionem duplex casus distingui debet: conjux enim potest illicite petere, vel cum peccato mortali, vel solummodo cum veniali.

In *primo casu*, si culpa se tenet ex parte actus, v. g. si alter petat in loco sacro, aut publico, aut cum abortus aut sanitatis tam propriæ quam alterius periculo, omnes conveniunt non teneri conjugem, imo nec posse reddere sine gravi culpa, cum actus sit in se malus, nec habet conjux jus sic petendi [2].

Si vero culpa se tenet ex parte personæ, quia, v. g., petens est voto castitatis obstrictus, aut petit ad pravum finem, duplex tunc est sententia: *Prima*, quæ est communis, dicit conjugem non tantum posse reddere sed etiam ad id teneri, quia in casu petens non amisit jus debitum exigendi. — *Secunda* sententia dicit illicitum esse tunc reddere, nisi in potestate petentis sit se liberare a lethali circumstantia, puta si exigeret ad pravum finem : ratio

1. S. Liguor., *ibid.*, n° 951.
2. S. Liguor., *ibid.*, n° 943.

quia tunc reddens cooperatur peccato alterius qui non habet jus nisi ad licitum usum matrimonii. Hæc secunda sententia ut probabilis habetur a S. Liguor., qui tamen primam reputat probabiliorem saltem extrinsece ob innumeros auctores ita sentientes, et nititur hac ratione, quod obstrictus voto retinet jus ad petendum, ac proinde compars tenetur illi reddere, sicut debitor teneretur restituere creditori suum jus prosequenti quamvis iste votum emisisset illud non exigendi. — Nec dici potest quod reddens cooperetur peccato illicite petentis, cum illud nequeat ipse impedire, et actum licitum, imo ex justitia debitum faciat. — Tenetur tamen reddens in casu ex charitate monere ligatum voto ut a petitione desistat, modo id fieri possit absque magno incommodo. — Melius aget tunc reddens si ipse petendo præveniat; sed raro uxores ad hoc tenentur propter verecundiam [1].

Casu autem quo vovens expresse suum jus petendi cessisset alteri, licite iste posset renuere debitum.

« Si vero petat conjux incestuosus, qui.... privatus est « jure petendi, alter non tenetur quidem, sed bene potest « ei reddere, cum ipsi semper competat jus tam petendi « quam reddendi [2]. » Ita communius et probabilius : nam aliæ sunt sententiæ, ut videri potest, apud S. Liguor. [3].

298. In *secundo casu*, quo scilicet petens exigit debitum cum peccato veniali, plures auctores dicunt generatim tunc adesse obligationem reddendi : alii tamen requirunt tunc justam causam ex parte petentis. Recte autem S. Liguor. distinguit sicut in casu præcedenti : vel nempe actus est illicitus ex parte petentis, v. g. si petat ob voluptatem, aut die quo vult Eucharistiam sumere, et tunc est obligatio reddendi, quia actus est in se licitus et debetur ex justitia. Si vero actus est in se venialiter illicitus, si nempe petatur situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, licitum quidem est tunc reddere cum justa causa actum cohonestante, v. g. ne incurrat indignationem;

1. S. Liguor., lib. 6, nº 944.
2. *Homo Apost.*, tr. 18, nº 46.
3. Lib. 6, nº 945.

secus, absente tali causa. Nec sufficeret motivum , ut non sit conjux jure reddendi privatus : quia sicut petens non habet jus ad sic petendum, ita nec reddens ad sic reddendum.

Potest quidem conjux reddere habens justam causam, sed ad id non tenetur, cum alter non habeat jus ad sic petendum ; teneretur tamen reddere si petens haberet pariter justam causam hoc modo petendi, puta ad vitandam incontinentiam [1].

An autem uxor possit vel teneatur reddere viro volenti seminare extra vas, expendemus infra (312).

299. Ex dictis sequitur graviter peccare conjuges si se impotentes reddant etiam mediis alias licitis, v. g. jejuniis, invita scilicet comparte. Imo vir, si jejunando incapax fieret debitum reddendi, non observaret licitè jejunia Ecclesiæ. Secus est dicendum de uxore, quia difficile videtur quod impotens fiat per jejunia ad reddendum debitum conjugale : peccare tamen posset sic se deformem notabiliter efficiens [2].

300. « Notandum... quod conjuges ratione debiti « reddendi teneantur cohabitare, non solum quoad do- « mum, sed etiam quoad torum, nisi separentur ex con- « sensu, absitque tunc periculum incontinentiæ et damnum « educationis. Vir autem licite potest suscipere aliquam « brevem peregrinationem ex causa devotionis, vel alia « honesta, etiam invita uxore ; sed non uxor invito viro. « Potest imo vir etiam diu abesse, si id oporteat ad bo- « num publicum, vel familiæ. Ita communiter Sanchez... « Dicit autem Boss... cum Tolet... quod vir teneatur tunc « secum ducere uxorem, si commode possit [3]. »

1. S. Liguor., *ibid.*, n° 946.
2. S. Liguor., lib. 6, n° 942.
3. *Homo Apostol.*, tr. 18, n° 51.

ART. III.

DE PECCATIS CONJUGUM.

301. In duas classes, post P. Gury [1], illa peccata redigemus, nempe 1° in patrata per excessum seu per actus inutiles ad generationem; 2° in perpetrata per defectum, actum generationi essentialem non perficiendo.

§ I.

Peccata conjugum per excessum patrata.

302. Tria principia sunt præponenda cum eodem P. Gury [2] :

« I. Quidquid est necessarium ad actum conjugalem « complendum, aut utile ad illum facilius, citius, aut per- « fectius exercendum, est conjugibus omnino licitum. « Etenim qui habet jus ad rem, habet etiam jus ad media « necessaria vel utilia, nec aliunde prohibita : quibus « enim licitum est principale, licitum etiam est accesso- « rium et medium ad illud ordinatum.

« II. Quidquid est nocivum generationi, aut potest « procurare pollutionem extra conjunctionem naturalem, « est in omni casu graviter illicitum : ratio est quia effu- « sio voluntaria seminis non est licita nisi in ordine ad « generationem; et proinde matrimonium non dat conju- « gibus facultatem nisi ad seminis effusionem quæ gene- « rationi inservire potest : secus enim voluptatibus habenæ « laxarentur et socialis ordo subverteretur.

« III. Quidquid inutile aut indifferens est generationi, « seu ad actum generationi ordinatum, etiam remote et « indirecte procurandum, culpæ verti nequit nisi levi : a « qua tamen alii fines ejusmodi actibus intrinseci excu- « sant, nempe ut affectus conjugalis servetur ac foveatur, « et concupiscentia sedetur : quos tamen opus non est « intendere; sed sufficit ut positive non excludantur. »

1. T. 2, n° 917.
2. *Ibid.*, n° 918.

Sic autem brevius potest exprimi triplex regula præfata: « 1° Quidquid pro est licitum; 2° quidquid contra est « mortale; 3° quod est præter non solet esse nisi veniale. »

303. Quærit. 1° An sint mortales tactus et aspectus turpes inter conjuges si propter solam voluptatem, sine ordine ad copulam, exerceantur?

Resp. Affirmare S. Anton., Sylvium, etc. etsi non adsit periculum pollutionis; quia omnis actus venereus ad copulam conjugalem non relatus, est mortalis. Sententia tamen communis, quæque verior a S. Liguor. habetur[1], negat; ratio quia status conjugalis, sicut cohonestat copulam, ita et hujusmodi actus et aspectus; porro delectatio in copula non excedit veniale; ergo et a fortiori idem excedere nequit in tactibus et aspectibus. Et hoc etiamsi copula impediretur ob morbum, aut impotentiam supervenientem : supponitur quod non adsit periculum pollutionis; secus autem esset dicendum si conjux esset ligatus voto castitatis, quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream voluntarie captam. — Controvertitur autem an idem sit dicendum de eo qui a copula impediretur propter affinitatem vel cognationem spiritualem; sed in praxi debet se abstinere, ob proximum periculum pollutionis aut petitionis copulæ.

Casu quo ex his actibus turpibus prævideretur pollutio secutura in se vel in altero, triplex est sententia : *Prima* excusat ab omni culpa, modo pollutio non intendatur, nec adsit periculum ei consentiendi, aut agatur de tactu adeo turpi ut judicetur inchoata pollutio. *Secunda* distinguit inter actus pudicos et impudicos : primos, ut oscula et amplexus, excusat a peccato; secundos vero de mortali damnat, quia non sunt instituti ad fovendum affectum conjugalem. *Tertia* autem, hos actus ut mortalia reputat, si prævideatur periculum pollutionis. S. Liguor.[2] probabilius judicat omnes actus turpes esse peccata mortalia tam in petente quam in reddente, quoties adest pollutionis periculum, nisi habeantur ut conjuges se excitent ad copulam proxime

1. Lib. 6, n° 933.
2. *Ibid.*, n° 934.

secuturam, tametsi per accidens pollutio copulam præveniat; idem sentit de actibus pudicis in hypothesi facta, si habeantur ob solam voluptatem vel ob levem causam; secus, si ob gravem, puta si adsit urgens causa ostendendi affectum ad pravam suspicionem ab altero removendam. — Improbabile tamen non est sententia asserens posse permitti passive tactus etiam impudicos, quamvis adsit periculum pollutionis, nisi tales sint ut videantur inchoata pollutio, ob rationem quod tunc culpa se tenet ex parte personæ.

Etsi quidam contradicant, verius est esse mortale pudenda immittere in os uxoris; hocque crimen ab aliquibus vocatur *irrumatio*. Vide supra (183).

304. Quærit. 2° An mortaliter peccet conjux turpiter, seorsim, altero absente, se tangens secluso pollutionis periculo?

Resp. Juxta plures auctores, hunc conjugem mortaliter non peccare, quia hujusmodi actus cohonestantur statu matrimonii, cum ex natura sua ad copulam ordinentur: unde secluso pollutionis periculo non possunt esse graviter illiciti. Alia tamen est sententia quam probabiliorem et in praxi omnino suadendam vocat S. Liguor. [1]; hæcque affirmat dictum conjugem lethaliter peccare: ratio est quia conjuges non habent jus per se in proprium corpus, sed tantum ut possint se disponere ad copulam; unde, altero absente, ipsis non licet se turpiter tangere: eo magis quod hujusmodi tactus conjunguntur sæpe cum proximo pollutionis periculo.

305. Quærit. 3° An sit mortalis in conjuge delectatio morosa de copula habita vel habenda?

Resp. Certe esset mortalis si conjux obstrictus esset voto castitatis: ratio patet. — Extra hunc casum, tres sunt sententiæ: *Prima* affirmat, quia talis delectatio est quasi pollutio inchoata, quæ sponsis non licet extra actum conjugalem. — *Secunda* communior negat, quia delectatio suam bonitatem aut malitiam sumit ex objecto; porro objectum (seu copula) est conjugibus licitum: ergo, etc.

1. *Ibid.*, n° 936.

— Putant tamen hujusce sententiæ patroni adesse in hoc culpam venialem, quia talis delectatio caret fine debito, cum non ordinetur ad copulam præsentem : probatur etiam ex S. Thoma, cujus verba apud S. Liguor. legi possunt [1]. *Tertia* sententia distinguit et negat, si delectatio fiat absque spirituum commotione, secus, si fiat cum commotione et titillatione partium.

« Ego, inquit S. Liguor., meum judicium proferam : si « delectatio habeatur, non solum cum commotione spiri- « tuum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, « sentio eam non posse excusari a mortali, quia talis delec- « tatio est proxime conjuncta cum periculo pollutionis. « Secus vero puto dicendum si absit illa voluptuosa titil- « latio, quia tunc non est delectationi proxime annexum « periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spiri- « tuum. »

Certum est autem quod desiderium et simplex cogitatio copulæ futuræ sint conjugibus licita, prout etiam simplex cogitatio de jam habita copula absque delectatione venerea.

306. Quærit. 4°. An, viro se retrahente post propriam seminationem sed ante mulieris seminationem, possit ista statim tactibus se excitare ut seminet ?

Resp. Sententiam negantem a quibusdam quidem teneri : communius vero affirmatur hoc esse licitum ; quia, etsi semen mulieris non sit necessarium ad generationem, non est tamen ipsi inutile et pertinet ad complementum actus conjugalis, qui in seminatione utriusque conjugis consistit. Imo mulieri permittitur se excitare ante congressum quo facilius in coitu seminet. Dicta tamen modo dici nequeunt, vice versa, de viro, cui non est licitum se excitare ad seminationem postquam mulier se retraxit post suam propriam emissam : sic enim conjuges revera una caro non fierent, nec compleretur actus necessarius ad generationem, sed iteratus tunc congressus requiritur.

1. Lib. 6, n° 937.

§ II.

PECCATA CONJUGUM PER DEFECTUM, ET IMPRIMIS DE ONANISMO.

307. Peccant conjuges si, in usu matrimonii vel post usum, aliquid faciant quo impediatur generatio, vel quo semen receptum rejiciatur, quia agunt contra finem matrimonii : v. g., si uxor statim post copulam mingit, aut surgit, aut aliquid aliud facit animo ut semen receptum expellat. Advertendum tamen est matricem brevi tempore semen attrahere et arctissime claudi [1].

308. Quærit. 1° An mortaliter peccent conjuges si, incœpta copula, seminationem cohibeant ?

Resp. Vel in hoc ambo sunt consentientes, vel unus tantum sic agit. In *primo casu*, non adest tunc per se loquendo peccatum mortale, modo absit periculum seminandi extra vas : quia vasis feminei penetratio est proprius tactus verendorum, qui communiter non habetur ut lethale inter conjuges, secluso pollutionis extra vas periculo. Dicitur *per se loquendo*, quia solet adesse pollutionis periculum ex hujusmodi retractione, ac proinde in praxi immunes non sunt conjuges a gravi delicto, nisi experti fuerint abesse tale periculum.

In *secundo casu* certe graviter peccat conjux sic se retrahendo sine alterius consensu, eo quod istius jus lædat cum periculo pollutionis [2]. Sed quid si unus seminaverit? Potest-ne alter cohibere seminationem?

Resp. Vel conjux qui seminavit est femina , vel est vir. In *prima hypothesi*, non potest vir se a seminatione, data opera, se abstinere sine gravi culpa, quia causa est ipse ut semen mulieris prodigatur ; et idem est dicendum si ex copula femina sit in probabili periculo seminandi. Posset tamen in casu vir se retrahere ad mortem vel scandalum vitandum, etiam cum periculo pollutionis, quia tunc per

1. S. Liguor., lib. 6. n° 954.
2. S. Liguor., lib 6, n° 918.

accidens et præter suam intentionem hoc evenit. Ita communiter[1].

In *secunda hypothesi*, controvertitur an mulier peccet lethaliter sic se retrahendo sine propria seminatione : *prima* sententia affirmat,quia, juxta plures medicos, semen mulieris est necessarium, et, juxta omnes, saltem valde confert prolis perfectioni. *Secunda* sententia communior negat : ratio quæ affertur est quod semen mulieris non sit necessarium ad generationem, et quamvis ei utile sit, dici potest non teneri conjuges ad convenientiorem modum generandi. Etsi autem vir non teneatur expectare mulieris seminationem si ipse seminaverit, potest tamen continuare copulam usque dum femina seminet, quia hoc pertinet ad complementum copulæ.

Quamvis autem hæc secunda sententia sit communior, quia tamen prima est probabilis, in praxi est tenenda, quia illicitum est sequi probabilem sententiam cum gravi periculo damni tertii,prolis videlicet. Ita S. Liguor., qui addit : « *Neque* practice probabile puto id quod dicunt Sanch., « Sporer, etc., nimirum posse mulierem, in actu coitus, « animum ad alia divertere, ne concitetur ad seminatio« nem. »

DE ONANISMO.

309. Cum hanc quæstionem luculenter et solide tractet P. Gury, sua dicta in integrum nostra faciemus ; sic autem habet eximius auctor :

« Onanismus in eo consistit quod vir, post incœptam « copulam, ante seminationem se retrahat et semen effun« dat extra vas ut generationem impediat. Quisque per « se videt hoc esse turpi libidini indulgere, quin onera « matrimonii sustineantur.

« Nomen sortitur ab *Onan*, secundo filio patriarchæ « Judæ, qui, defuncto fratre suo Her, viduam ejus Thamar « ducere coactus est, juxta legem, ut suscitet semen fratri « suo ; *sed introiens ad uxorem fratris sui, semen fun« debat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur* ;

1. S. Liguor., *ibid.*

« *et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem*
« *faceret. Genes.* 38, v. 9 et 10.

« Statuenda :

310. « Dico I. Onanismus voluntarius est semper pec-
« catum mortale, et quidem horrendum contra naturam, « ideoque in nullo casu conjugibus licitum esse potest. « Ratio est : 1° quia plane pugnat contra finem prima- « rium matrimonii, et ad societatis extinctionem *per se* « tendit, ac proinde naturalem ordinem subvertit ; 2° quia « a supremo legislatore et naturæ auctore stricte fuit « prohibitus, ut eruitur ex textu *Genesis* modo relato ; « 3° constat insuper ex propos. 49ª ab Innocent. XI dam- « nata, quæ sic sonat : *mollities jure naturali prohibita* « *non est.* Unde sic : onanismus est vera et proprie dicta « mollities, seu pollutio extra usum licitum matrimonii : « ergo, etc. Hoc confirmatur variis S. Pœnit. et S. Officii « decisionibus infra referendis [1].

1. 1ª CONSULTATIO.

Episcopus N... humillime supplicat pro hujus dubii solutione :

1° An possit absolvi mulier quæ pateretur equidem virum, si recte ageret in copula conjugali; vehementer autem desiderat ut se retrahat vir, quia mulier illa prolem habere formidat ;

2° An possit absolvi mulier quæ, in copula conjugali, posset suis blanditiis obtinere a viro quod non se retraheret, et non fecit, quia illa copula sibi displicet. — S. Pœnitentiaria... respondit : *Negative.* Romæ, 27 mai, 1847.

2ª CONSULTATIO.

Quæritur à Sede Apostolica qua nota theologica dignæ sint tres propo-sit. sequentes, nimirum :

1° Ob rationes honestas conjugibus uti licet matrimonio eo modo quo usus est Onan ;

2° Probabile est istum matrimonii usum non esse prohibitum de jure naturali.

3° Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir sive uxor, abutantur matrimonio. — Resp. S. C. Inquis., die 21 maii 1851 : ad 1m, *Propositionem esse scandalosam, erroneam, et juri naturali matrimonii contrariam.*

Ad 2m *Propositionem esse scandalosam, erroneam, et alias implicite damnatam ab Innoc. XI, prop.* 49.

Ad 3m *Propositionem, prout jacet, esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam.*

« Diço II. Vir onanista nunquam a peccato gravi excu-
« sari potest, et proinde nunquam absolvendus est, nisi
« de peccato sincere doleat, et pessimum illud peccatum
« in posterum vitare firmiter sibi proponat. Ratio est quia
« infandus ille actus semper est ipsi voluntarius, et, se re-
« trahendo ne liberi nascantur, semper rem intrinsece ma-
« lam facit.

« Dico III. Uxor autem ab omni peccato excusari potest
« si gravi de causa viro onanistæ debitum reddat; modo
« interius ipsius peccato non assentiatur, exteriusque re-
« pugnantiam suam seriis admonitionibus aliisve displi-
« centiæ signis ipsi ostendat. Ratio est 1° quia rei licitæ

3a Consultatio (à RR. DD. Bouvier facta).

Beatissime Pater :

Episcopus Cenomanensis in Gallia ad pedes S. V. summa cum reverentia provolutus, ea quæ sequuntur humillime repræsentat : Fere omnes juniores sponsi numerosiorem prolem habere nolunt, et tamen ab actu conjugali abstinere moraliter nequeunt, nec ab actu conjugali temperant, nec ad nimiam prolis multiplicationem determinari queunt.

Tunc adversus confessarios mussitantes, sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ derelinquunt, malum præbent exemplum liberis, famulis aliisque Christi fidelibus. Lugendum inde oritur religionis detrimentum.

Numerus eorum qui ad sacrum Pœnitentiæ tribunal accedunt, multis in locis ab anno in annum decrescit præsertim ob hanc causam, fatentibus plerisque parochis, pietate, scientia et experientia magis conspicuis.

Quomodo ergo olim agebant confessarii? Aiunt multi : non plures quam hodie communiter nascebantur liberi ex singulis matrimoniis; conjuges non erant castiores, et nihilominus præceptis annuæ confessionis et communionis paschalis non deerant. — Omnes libenter admittunt infidelitatem erga compartem et abortus attentationem maximum esse peccatum; ac vix ac ne vix quidem persuaderi possunt se teneri sub peccato mortali, aut perfectam in matrimonio servare castitatem, aut incurrere periculum innumeram generandi prolem.

Præfatus Cenomenensis Episcopus ingentia hinc obventura esse mala prævidens et anxietate turbatus à B. V. sollicite inquirit :

1° An conjuges, qui matrimonio eo utuntur modo ut conceptionem præcaveant, actum per se moraliter malum exerceant?

2° Si actus habendus sit ut moraliter malus, an conjuges de illo se non accusantes considerari possint tanquam in ea constituti bona fide quæ eos a gravi culpa excuset?

3° An probanda sit agendi ratio confessariorum qui, ne conjugatos

« vacat et utitur jure suo, quo propter malitiam viri pri-
« vari non potest; nec rei intrinsece malæ cooperatur,
« cum se passive tantum habeat, et actio intrinsece mala
« consistat tantum in actu viri qui se retrahit; 2° quia non
« obligatur caritate ad peccatum mariti impediendum
« cum gravi suo incommodo; 3° quia patet ex variis res-
« ponsionibus S. Pœnitentiariæ, quibus declaravit hujus-
« modi mulierem inquietandam non esse. Vide decisiones
« infra [1].

offendant, illos circa modum quo juribus matrimonii utantur non interrogant?

S. Pœnitentiaria, mature perpensis propositis quæstionibus :

Ad 1am respondet : « Cum tota actus deordinatio ex viri malitia « procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit, « ideo, si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem « instet, minando verbera aut mortem, poterit ipsa, ut probati theologi « docent, citra peccatum simpliciter permittere, idque ex gravi causa « quæ eam excuset : quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, cum « tanto incommodo non obligat. »

Ad 2m et 3m respondet : « Quod præfatus confessarius revocet in « mentem adagium illud: *sancta sancte esse tractanda*, atque etiam « verba perpendat S. Alphonsi de Liguorio viri docti et horum peritis- « simi, qui, in *Praxi confessariorum*, § 4, n° 41, inquit, *circa autem « peccata conjugum respectu ad debitum conjugale, ordinarie loquendo, « confessarius non tenetur, nec decet interrogare nisi uxores an illud « redderent, modestiori modo quo possit*...; *de aliis taceat, nisi inter- « rogatus fuerit*. Nec non alios probatos auctores consulere non omit- « tat. »

Datum Romæ a S. Pœnitent., die 8 junii 1842.

1. *Quæsitum*. Bertha virum habet quem constanti experientia cognoscit esse onanistam. In vanum omnia tentavit media ut illum a tam nefando crimine retraheret. Quinimo gravissima aut saltem gravia mala ei imminent nunc probabiliter, ita ut vel hæc mala incurrere debeat, vel fugere e domo mariti, nisi permittat saltem aliquando abusum matrimonii, etc.

Resp. « Cum in proposito casu mulier a sua quidem parte nihil con- « tra naturam agat, detque operam rei licitæ, tota autem actus inordi- « natio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et « extra vas effundit; ideoque si mulier, post debitas admonitiones, « nihil proficiat, vir autem instet minando verbera aut mortem, aut « alia gravissima mala, poterit ipsa, (ut probati theologi docent) citra « peccatum permissive se habere, cum in his rerum adjunctis, ipsa « viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa que

« Resolves :

311. « 1° Graviter peccat mulier quæ virum ad matri- « monio abutendum inducit, etiam indirecte vel tacite : « v. g. conquerendo de numero prolis, de laboribus « partus, vel educationis liberorum, aut se in proximo « partu morituram esse recantando, etc. A fortiori graviter « peccat si, invito marito, ab incœpta copula ante semi- « nationem se retrahat (Vid. S. Lig., lib. 6, n° 918).

« 2° Graviter etiam peccat mulier detestandæ viri ac- « tioni interius consentiendo, etsi exterius repugnantiam « ostendat : peccatum enim semper est odio habendum.

« 3° Tenetur uxor, saltem ordinarie, virum onanistam « de obligatione sua recte agendi monere, eumque pro « posse a perversa agendi ratione avertere. Nec sufficit « quod semel monuerit, sed durante prava consuetudine, « admonitiones interdum repetere debet, nisi certa sit « novam admonitionem nullo modo esse profuturam. « Attamen tunc etiam repugnantiam suam aliquo modo « patefacere tenebitur, ne peccato mariti libenter con- « sentire videatur. Ita communiter, et sic respondit inter- « rogata Pœnitentiaria.

« 4° Inducere debet pro viribus uxor maritum blan- « ditiis, variis amoris indiciis, precibus, adhortationibus- « que ad actum recte perficiendum, vel ab eo prorsus « abstinendum. Experientia constat plurimos viros ona- « nistas ab uxoribus sic allectos ad meliorem frugem sese « recepisse. Non est autem facile adhibenda fides mulieri- « bus quæ asserunt se invitas viros onanistas pati, nisi spe- « cialia sinceritatis signa præbeant. »

312. Dicit autem idem P. Gury, in suo opere *Casus conscientiæ* [1] quod non videatur « excusanda mulier quæ « sine gravi ratione debitum viro reddit, quando certo « ipsi constat quod ille sit male acturus. Ratio est, quia ad « cooperandum peccato alterius, licet materialiter tantum,

« eam excuset, quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, cum « tanto incommodo non obligat. » Datum Romæ in S. *Pœnitentiaria*, die 1er febr. 1823.

1. T. 2, n° 1105.

« causa gravis et proportionata requiritur; constat etiam « ex variis responsionibus S. Pœnitent.,quæ semper gra- « vem causam requirunt ut mulier virum onanistam pa- « tiatur... Causæ autem graves fere semper habentur,v. g. « timor fundatus graviter viro displicendi, et pace in vita « conjugali carendi,etc. Attamen S. Liguor., nº 947, dicit « uxorem *probabilius* posse, imo et teneri debitum red- « dere viro onanistæ, absque gravi causa : ratio est, ait, « quia maritus jus habet ad copulam, et mulier, si non « possit eum ab ea avertere per monitionem, non coope- « ratur peccato mariti reddendo debitum; quia coope- « ratur tantum copulæ incœptæ, non vero actioni viri « quando, imperfecta copula, se retrahit. Sed recentibus « *S. Pœnitent.* responsis nunc standum est. » — At hæc S. Pœnitentiariæ responsa declarant tantum excusandam esse mulierem quæ debitum reddit viro onanistæ ex causa gravi,nihil prænuntiando de ea quæ illud reddit sine gravi ratione, post monitionem tamen; unde ex allegatis responsis nihil videtur posse rigorose concludi contra sententiam S. Liguorii, quæ aliunde omni soliditate rationis non apparet destituta [1]. Nobis tamen probabilius videtur quod, etsi mulier, post congruam monitionem marito factam, possit debitum reddere in supposito casu, quia alioquin forsan diu abstinere se deberet, quod ipsi grave esset, non ad id tenetur, quia maritus jus non habet nisi ad copulam legitimam; porro ex ipsius parte legitima non est copula quam petit, cum illam non exigat nisi ut ea abutatur. Comparatio vero ex cæteris debitis desumpta, adæquata non est; nam abusus in illis est sejunctus ab exactione, dum in casu præsenti simul fit cum exactione.

313. Quærit. 1º An uxor debitum a viro onanista petere possit?

« Resp. Affirmative *probabilius*, gravi de causa, v. g. si « periculo gravi incontinentiæ ipsa exponatur : quia « jus habet ad copulam, et ratione sufficiente a peccato « cooperationis excusatur. Ita S. Lig. nº 947. Sic etiam

1. Lib. 6, 947

« declaravit Pœnitentiarius major Card. de Gregorio
« admonitione ad præfatas S. Pœnitentiariæ responsione
« quamvis addat S. Pœnitentiariam hac de re decisione
« dare recusasse [1]. »

314. Quærit. 2° « An peccet uxor consensum internu
« voluptati præbendo, quando actum conjugalem vi
« onanistæ permittere potest?

« Resp. Negative, modo peccato viri assensum no
« præbeat. Ratio est, quia cum minime peccet actum hu
« jusmodi permittendo, neque peccat voluptatem ex e
« provenientem admittendo, quamvis præsciat virum co
« pulam non esse perfecturam : actus enim ille est in s
« honestus et licitus mulieri, et per eam non stat quomi
« nus debito modo perficiatur... [2] »

SCHOLIUM.

315. Quomodo se gerere debeat confessarius erga pœ nitentes quoad usum matrimonii?

Resp. Vel de hoc confessarius a pœnitente interrogatu vel pœnitens, qui tamen est matrimonio obstrictus, altu de eo servat silentium.

In *primo casu*, si pœnitens nondum sit conjugio inn datus, præsertim si puella sit proxime nuptura, valde pr denter ac circumspecte confessarius procedere debet nempe primum, modo generali loquendo tantum, nec a particularia descendendo nisi interrogatus, ne pœnitente scandalizet. Sic autem potest puellam alloqui : « Sanctu
« est matrimonium, vocaturque ab Apostolo *Magnu*
« *Sacramentum in Christo et in Ecclesia* ; adeoque sanc
« in hoc sacro vinculo vivendum est. Non omnia sane i
« conjugio licita sunt, sed ea tantum quæ ad illius fine
« conducunt. Generatim obedientiam viro tuo præsta
« debes, nisi clare intelligas aliquid mali præcipi aut a
« postulari. Ne tardes, quæso, ad sacrum pœnitentiæ tri
« bunal iterum accedere; tunc autem si difficultas qua

1. *Justification de S. Liguor.*, p. 275.
2. P. Gury, *Compend.*, t. 2, n° 926.

piam in mentem tibi venerit eam confessario candide aperies [1]. »

Si pœnitens, præsertim vir, non vixerit caste, et id consario innotescat ex confessione, liberius poterit loqui, out ei suggerent circumstantiæ confessionis. Imprimis inculcet Deum non ideo instituisse matrimonium, nec ud ad sacramenti dignitatem evexisse, ut in eo conjuges rant sicut equus et mulus, passionibus unice indulgendo, d ut procreentur filii Dei, pie et christiane educandi, et ut et uxor in salutis negotio se invicem ante omnia adjuvent.

Si jam pœnitens sit matrimonio alligatus, maxime si atur de recenter conjugata, caute adhuc agere debet nfessarius. Generatim non præveniat quæstiones, sed terroganti tantum respondeat, et quidem modo generali, cilicet: licere quæ ad prolis susceptionem conducunt; hilque esse faciendum quod huic fini matrimonii adversetur. Non deveniat ad particularia nisi expositis a pœnitente difficultatibus, quibus breviter et verbis, prout poterit, honestis et decentibus respondeat [2].

316. In *secundo casu*, veluti regula generalis teneatur non esse interrogandos conjuges de peccatis in matrimonio patratis, nisi obiter, modo generali, ut occasio præbeatur pœnitenti, si reus sit, se accusandi de peccatis quæ forte declarare erubescit. Etsi enim confessarius teneatur pœnitentem adjuvare ad digne recipiendum pœnitentiæ sacramentum, non ideo tenetur de omnibus interrogare, quando præsertim sunt specialia, ut in casu, inconvenientia. « Circa peccata conjugum, ait S. Li« guor. [3], respectu ad debitum maritale, ordinarie lo« quendo, confessarius non tenetur, nec decet interrogare « nisi uxores an illud reddiderint, modestiori modo quo « possit; puta, an fuerint obedientes viris in omnibus. « De aliis taceat nisi interrogatus fuerit. »

Si ergo agatur de conjuge qui christiane vivit, in mortalia frequenter non labitur, et interdum, decurrente

1. P. Gury, *Casus consc.* l. 2, n° 110.
2. P. Gury, *ibid.* 1102.
3. *Praxis confess.*, n° 41.

anno, ad sacramenta accedit, illum ordinarie non debet de iis interrogare.

Sed improbanda est agendi ratio eorum qui tenent conjuges nunquam de debito conjugali esse interrogandos: improbantur enim a S. Inquisitione quæ, 21 maii 1851, ut diximus supra in notis (310), pronuntiavit *falsam esse, nimis laxam et in praxi periculosam propositionem : Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir, sive mulier, abutantur matrimonio.*

DISSERTATIO TERTIA.

DE QUIBUSDAM QUÆSTIONIBUS MAXIMI MOMENTI QUÆ FŒTUM ET PARTUM MULIERUM CONCERNUNT.

Duo erunt capita : 1° de abortu ; 2° de sacra embryologia.

CAPUT I.

DE ABORTU.

317. Abortus est fœtus expulsio ab utero materno : porro is fœtus potest esse vel jam animatus vel nondum anima donatus. Quo autem momento fœtus incipiat anima donari, non bene constat. Certum est quidem illud contingere ante nativitatem : damnata enim fuit ab Innoc. XI propositio sequens, quæ est 25ª : *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere cum paritur ; ac consequenter in nullo abortu homicidium committi.*

318. Quo vero instanti post conceptionem id contingat, multum in hoc dissentiunt auctores. Communis opinio diu fuit fœtum non anima donari primo instanti quo concipitur et antequam formatus fuerit; et in probationem cita-

batur Exodus, c. 21, v. 22, juxta versionem Septuagintorum: *Qui percusserit mulierem prægnantem et illa abortum fecerit, si fœtus erat animatus, dabit animam pro anima; si nondum erat formatus, multabitur pecunia.* Juxta vero Hippocratem, masculus non animatur nisi die 30, vel 35, vel 40, vel 45; femina nisi die 35, vel 40, vel 45, vel 50. Tandem ut regula, post Aristotelem, tenebatur mares animari die 40, femellas die 80, et hanc sequitur forum ecclesiasticum quoad pœnas procurantibus abortum infligendas, itemque Sacra Pœnitentiaria dum agitur de irregularitate et aliis pœnis. — Non omittebant tamen auctores observare rem esse valde incertam, et multum probabile esse fœtum, etiam sexus feminei, animari ante diem 40. Cangiamila, in suo opere *De sacra embryologia*, asserit se propriis oculis vidisse fœtum sexdecim duntaxat dierum præbentem signa vitæ non ambigua[1]. Hodie autem, post accuratiores observationes, sat communis evasit opinio omnem fœtum statim a conceptione animari[2]. Sed sæpe certe contingit quod fœtus decedat ante suum ab utero egressum.

319. Media quibus solet efficaciter procurari abortus sunt, præter jugulationem et concisionem in utero peractam: 1° membranæ quo fœtus clauditur disruptio: hac enim scissione subtrahitur liquor in quo fœtus natat; unde amplius in ea vivere nequit, etsi in lucem vivus prodire valeat; 2° extrinsecæ percussiones aut compressiones; 3° succussiones violentæ, contractiones nervorum seu convulsiones; 4° fibrorum relaxatio ex qua fit ut fœtus pondere suo pressus, præmature nascatur: sive naturaliter hoc eveniat, sive arte, balneis nempe, medicatis potionibus, sectione venarum, etc., id efficiatur[3].

320. Quærit. 1° An matri in extremo morbo constitutæ liceat sumere remedium ad directe expellendum fœtum inanimatum?

1. RR. Bouvier, *in Sextum*, p. 200.

2. *V.* observat Ballerini, in n° 402; P. Gury; Card. Gousset, *Morale*, t. 1, n° 621; *Abrégé de l'embryologie sacrée*, p. 15 et 16, et art. D.-F. Dunot de Saint-Maclou, t. 21, p. 5, *Revue des sciences ecclés.*

3. Ballerini, super n° 402 P. Gury.

anno, ad sacramenta accedit, illum ordinarie non debet de iis interrogare.

Sed improbanda est agendi ratio eorum qui tenent conjuges nunquam de debito conjugali esse interrogandos; improbantur enim a S. Inquisitione quæ, 21 maii 1851, ut diximus supra in notis (310), pronuntiavit *falsam esse, nimis laxam et in praxi periculosam propositionem : Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir, sive mulier, abutantur matrimonio.*

DISSERTATIO TERTIA.

DE QUIBUSDAM QUÆSTIONIBUS MAXIMI MOMENTI QUÆ FŒTUM ET PARTUM MULIERUM CONCERNUNT.

Duo erunt capita : 1° de abortu; 2° de sacra embryologia.

CAPUT I.

DE ABORTU.

317. Abortus est fœtus expulsio ab utero materno : porro is fœtus potest esse vel jam animatus vel nondum anima donatus. Quo autem momento fœtus incipiat anima donari, non bene constat. Certum est quidem illud contingere ante nativitatem : damnata enim fuit ab Innoc. XI propositio sequens, quæ est 25ª : *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere cum paritur; ac consequenter in nullo abortu homicidium committi.*

318. Quo vero instanti post conceptionem id contingat, multum in hoc dissentiunt auctores. Communis opinio diu fuit fœtum non anima donari primo instanti quo concipitur et antequam formatus fuerit; et in probationem cita-

batur Exodus, c. 21, v. 22, juxta versionem Septuagintorum: *Qui percusserit mulierem prægnantem et illa abortum fecerit, si fœtus erat animatus, dabit animam pro anima; si nondum erat formatus, multabitur pecunia.* Juxta vero Hippocratem, masculus non animatur nisi die 30, vel 35, vel 40, vel 45; femina nisi die 35, vel 40, vel 45, vel 50. Tandem ut regula, post Aristotelem, tenebatur mares animari die 40, femellas die 80, et hanc sequitur forum ecclesiasticum quoad pœnas procurantibus abortum infligendas, itemque Sacra Pœnitentiaria dum agitur de irregularitate et aliis pœnis. — Non omittebant tamen auctores observare rem esse valde incertam, et multum probabile esse fœtum, etiam sexus feminei, animari ante diem 40. Cangiamila, in suo opere *De sacra embryologia,* asserit se propriis oculis vidisse fœtum sexdecim duntaxat dierum præbentem signa vitæ non ambigua[1]. Hodie autem, post accuratiores observationes, sat communis evasit opinio omnem fœtum statim a conceptione animari[2]. Sed sæpe certe contingit quod fœtus decedat ante suum ab utero egressum.

319. Media quibus solet efficaciter procurari abortus sunt, præter jugulationem et concisionem in utero peractam: 1° membranæ quo fœtus clauditur disruptio: hac enim scissione subtrahitur liquor in quo fœtus natat; unde amplius in ea vivere nequit, etsi in lucem vivus prodire valeat; 2° extrinsecæ percussiones aut compressiones; 3° succussiones violentæ, contractiones nervorum seu convulsiones; 4° fibrorum relaxatio ex qua fit ut fœtus pondere suo pressus, præmature nascatur: sive naturaliter hoc eveniat, sive arte, balneis nempe, medicatis potionibus, sectione venarum, etc., id efficiatur[3].

320. Quærit. 1° An matri in extremo morbo constitutæ liceat sumere remedium ad directe expellendum fœtum inanimatum?

1. RR. Bouvier, *in Sextum,* p. 200.

2. *V.* observat Ballerini, in n° 402; P. Gury; Card. Gousset, *Morale,* t. 1, n° 621; *Abrégé de l'embryologie sacrée,* p. 15 et 16, et art. D.-F. Dunot de Saint-Maclou, t. 21, p. 5, *Revue des sciences ecclés.*

3. Ballerini, super n° 402 P. Gury.

Resp. Per se hoc est mortale, et qui tale patrat velut homicida est habendus, juxta c. *Si aliquis*, *De homicidio*. Certum tamen habetur licitum esse præbere remedium prægnanti, directe ad eam curandam, etiam cum periculo abortus fœtus inanimati, casu quo morbus esset mortalis.

An autem, in casu supposito, liceat sumere vel dare remedium directe ad expellendum fœtum nondum animatum, controvertitur : *Prima sententia* affirmat cum Sanchez, Layman, Sylvio, Viva, etc., quia cum ille fœtus sit pars viscerum, non tenetur mater vitam præsentem negligere ad servandam futuram vitam prolis, maxime cum, pereunte matre, fœtus minime animabitur. Excipit vero Sanchez si dubium sit an fœtus sit animatus, quia est intrinsece malum innocentem positive exponere periculo mortis.

Secunda sententia communior negat : quia si numquam liceat rejicere semen, etiam ad mortem vitandam, tanto minus fœtum, qui est vitæ humanæ propinquior, expellere licet. Nec dici valet fœtum inanimatum esse partem matris: nam respondetur fœtum non pertinere ad integritatem corporis materni, sed esse inchoative distinctum individuum. — Liceret tamen directe expellere fœtum corruptum, quia non esset amplius capax animationis.

Etsi, juxta S. Liguor.[1], utraque sententia sit probabilis, ipse tamen censet secundam, ut tutiorem, esse amplectendam ; et absque ratione prima teneretur : *ad quid* enim, inquit, *velle sumere pharmacum directe ad expellendum fœtum*, *cum possit et sufficiat indirecte expelli ?*

Etsi mulier experta fuisset non esse parituram nisi cum magno periculo mortis, ipsi, juxta sententiam communem, non liceret directe expellere fœtum, quia fœtus non est præsens agressor, cum periculum sit multum distans, et mulier ex alia causa potest interim obire. Præterea, si, ex communi sententia, nunquam liceat sumere potionem ad conceptionem impediendam, a fortiori ad fœtum expellendum id non licet.

1. Lib. 3, nis 394, 621.

Nec etiam matri liceret fœtum expellere, ob periculum ne occidatur ipsa a propinquis aut infametur: damnata enim fuit ab Innoc. XI propositio 34, sic habens: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella, deprehensa gravida, occidatur aut infametur.* Fœtus enim non est agressor per se, sed tantum per accidens; et quamvis cuique sit licitum injustum vitæ agressorem occidere, nemini tamen licet aliquem occidere ne ab inimico occidatur.

Ex dictis admittenda non videtur sententia Sanchezii dicentis posse mulierem à viro oppressam, expellere incontinenter semen receptum ad vitandam infamiam: nam si hoc ipsi liceret, posset pariter illud semen postea expellere, quod communiter et ab ipsomet Sanchezio rejicitur. — Liceret solummodo mulieri vi oppressæ se vertere et coitum interrumpere, quamvis semen viri esset effundendum extra vas.

321. Quærit. 2° An matri liceat pharmacum sumere ad directe sanandum morbum, sed cum timore probabiliter fundato ne exinde indirecte sequatur abortus fœtus animati?

Resp. Nunquam licet adhibere remedium directe tendens ad fœtus animati occisionem, quia nunquam licet directe occidere innocentem; illicitum est ergo dilacerare uterum, percutere ventrem, transfigere fœtum, etc. — Si autem remedium directe tendat ad servandam vitam matris, ut scissio venæ, balnea, purgatio, etc., tunc vel, pereunte matre, est moraliter certum prolem non fore superstitem, nec adesse spem quod valeat baptizari, vel spes remanet quod supervivat et baptismum possit ei conferri: in *primo casu*, communiter tenetur posse matrem sumere dictum remedium, quia ipsi licet, imo et tenetur propriam vitam servare, cum sic agendo minime noceat proli, quæ aliunde supponitur certo moritura. Quod autem, ait S. Liguor., non esse scrupulose inquietandos medicos, facile hujusmodi pharmaca præstantes, eo quod probabilissimum sit, pereunte matre, prolem non esse supervicturam, non me bene convincit, cum experientia constet, ut dicturi sumus infra (344, 345), sat frequenter evenire quod fœtus, pereunte

matre, saltem aliquandiu supervivat, etsi rarissime contingat quod diu supersit.

In *secundo casu*, si adsit spes quod, pereunte matre proles superstes erit, et baptizari poterit, consentiunt omnes illicitum esse matri pharmacum sumere cum periculo vitæ prolis, quando certum, imo solum probabilius esset, vivam fore edendam, pharmaco non sumpto; quia charitas non permittit servare vitam temporalem, exponendo alterum proximo damnationis periculo. — Si vero duntaxat sit probabile prolem, matre pereunte, esse supervicturam, plures DD., Salmantic. nempe, et alii dicunt non adesse tunc obligationem mortem perferendi, quia hæc obligatio non urget nisi quando periculum damnationis est certum respectu prolis, non vero si de eo dubitetur sed horum sententiæ non acquiescit S. Liguor., et declarat se non audere matri medicinam permittere, etsi, absque ea, certa moraliter esset ipsius mors, si aliqua rationabilis spes effulgeret prolem, mortua matre, fore supervicturam quia *nemini licet*, inquit, *ob tuendam suam vitam temporalem, positive exponere proximum, in necessitate constitutum, periculo mortis æternæ.* — Sed hoc periculum magna ex parte amoveri posset, baptizando prolem intra uterum maternum, quo peracto, non auderem damnare matrem medicinam sumentem.

322. Si mater gravis mortis periculo laboraret nisi fœtus expellatur, et sit probabilis spes ut ope medicinæ in lucem prodeat et sic baptizetur, ipsius expulsio non modo licita, inquit Ballerini [1], sed præcepta videtur; quia matris mors nihil prodesset temporali vitæ prolis, et insuper in gravissimum salutis æternæ discrimen eumdem dejiceret. Non objici potest quod forte mors prolis acceleretur, *quia*, ait S. Liguor. [2], *negligi potest illa vitæ jactura ut infans vitam æternam consequatur.*

Si ex vi morbi probabile immineat periculum abortus, et simul sit periculum ne ante abortum proles in utero decedat, probabilis econtra sit spes, quod accelerato per

1. Annotatio in no 402 P. Gury.
2. Lib. 6, no 106.

medicinam partu, proles in lucem viva prodeat et baptizanda sit, medicina sumi debet, cum salus æterna prolis sit præferenda spei incertæ ipsius vitæ temporalis [1].

323. Quærit. 3° Quibusnam pœnis subjiciantur abortum procurantes?

Resp. Sixtum V, anno 1588, per suam Constit. *Effrænatam*, omnes scienter procurantes abortum fœtus tam inanimati quam animati, et quocumque modo huic sceleri consentientes, vel mulieribus præbentes venena sterilitatis, subjecit cunctis pœnis quæ jure civili et canonico homicidis debentur, ut sunt privatio omnis privilegii clericalis, dignitatis aut beneficii ecclesiastici, necnon inhabilitas ad ea in posterum obtinenda; illis insuper imposuit irregularitatem et excommunicationem ipso facto, effectu secuto. — Sanctæ Sedi quidem harum dispensationem et absolutionem reservaverat dictus pontifex, sed anno 1591, per Bullam *Sedes Apostolica* Gregorius XIV has pœnas abstulit pro casu abortus inanimati fœtus, ac proinde pro casu etiam procurationis sterilitatis, easdem relinquendo pro abortu fœtus animati, pro quo etiam concessit facultatem ab excommunicatione absolvendi tam Episcopis quam confessariis omnibus, specialiter ab ipsis Episcopis ad hunc casum deputatis [2]. — Circa irregularitatem in casu contractam solus Supremus Pontifex potest dispensare [3].

Notandum autem præfatas pœnas latas esse contra eos solum qui abortum scienter procurant; unde ab iis excusat ignorantia crassa. Communius vero tenetur ab iisdem non excusare ignorantiam affectatam [4]. Non ergo eas incurrit qui inadvertenter ex ira prægnantes verberat, vel ex ignorantia potum eis præbet quo sequatur abortus; secus, si advertenter hoc ageret aut terrefaceret ita ut abortus consequeretur.

1. Ballerini, in n° 402 P. Gury.
2. S. Liguor., lib. 3, n° 395. Eædem dispositiones servatæ sunt a Pio IX, in sua recenti Constit. *Apostolicæ Sedis*.—Valde probabiliter ab hac excommunicatione absolvere possunt confessarii ex delegatione etiam generali Ordinarii. (*Ibid*, n° 397.)
3. S. Liguor., *ibid.*; et D. Rousselot. In opere pluries citato, p. 152.
4. S. Liguor., lib. 7, n° 57.

324. Quærit. 4° An prædictas incurrant pœnas mulieres quæ sibi abortum procurant?

Resp. Certum videtur quod incurrant pœnas temporales, ut expresse asserit Bulla *Effrænata*, in §§ 1 et 5. — Quoad vero pœnas spirituales, excommunicationem videlicet, controvertitur; sententia quidem communissima affirmat; attamen S. Liguor. probabilius judicat eas non incurrere prægnantes, quia, statuendo de pœnis spiritualibus, Bulla loquitur duntaxat de iis *qui vel quæ, uti principales, vel ut sociæ, ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem vel alia medicamenta scienter dederint* [1]. Quæ verba de prægnantibus non videntur posse intelligi. Peccant tamen graviter mulieres gravidæ, non tantum quando potionem sumunt ut abortus fiat, sed etiam, si gravi imprudentia proximam ipsius causam ponant, nimiis, v. g., laboribus vacando, magna asportando onera, pedes aqua frigida lavando, immoderate saltando, etc.

325. Quærit. 5° An irregularitas incurratur in dubio an fœtus sit necne animatus?

Resp. Controvertitur : *Prima sententia* affirmat : quia in omni dubio homicidio incurritur irregularitas. Juxta hanc sententiam habendus esset ut irregularis is qui procuraret abortum post 40 dies, et dicitur sic servari in Sacra Pœnitentiaria. *Secunda sententia* verior negat : quia nunquam incurritur irregularitas nisi sit in jure expressa, ut constat cap. *Is qui*, *De sent. excomm.*; porro jus dicit quidem incurri irregularitatem ab eo de quo dubitatur an revera commiserit homicidium certo patratum, sed omnino tacet de casu in quo incertum est an homicidium revera fuerit perpetratum, prout est casus præsens; unde dici nequit irregularitatem hic incurri; et quod dicitur de irregularitate dicendum pariter de excommunicatione [2].

326. Non solum pœnis ecclesiasticis plectuntur abortum procurantes, sed sequentibus multantur in foro nostro civili :

1. S. Liguor., lib. 3, n° 395, quærit. V.
2. S. Liguor., lib. 3, n° 396.

« Quiconque, par aliments, breuvages, médicaments, « violences, ou par tout autre moyen, aura procuré l'a- « vortement d'une femme enceinte, soit qu'elle y ait con- « senti ou non, sera puni de la reclusion. — La même « peine sera prononcée contre la femme qui se sera pro- « curé l'avortement à elle-même, ou qui aura consenti à « faire usage des moyens à elle indiqués ou administrés à « cet effet, si l'avortement s'en est suivi. Les médecins, « chirurgiens, qui auront indiqué ou administré ces « moyens, seront condamnés à la peine des travaux « forcés à temps, dans le cas où l'avortement aurait eu « lieu. »

327. Puellæ quæ sunt aut fuerunt gravidæ, sedulo, caute tamen sunt interrogandæ an abortum sibi procurare studuerint; et an illum consuluerint inquirendi pariter sunt viri et juvenes qui fornicationem patrasse confitentur.

Nota hîc, cum Card. Gousset [1], « peccare parentes qui « filios etiam consentientes castrant, ut sint utiles « cantui » [2].

CAPUT II.

DE EMBRYOLOGIA SACRA.

